MEDITATIONES DE SANCTIS ORDINIBUS

Fr. GUILLELMUS SCHLÖSSINGER O. P.

MAGISTER NOVITIORUM

MEDITATIONES

DE

SANCTIS ORDINIBUS

PRO EXERCITIIS SPIRITUALIBUS IUXTA PONTIFICALE ROMANUM

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

TAURINI (ITALIA)

Ex Officina MARIETTI a. 1820 condita

nunc MARII E. MARIETTI Sanctae Sedis Apostolicae et S. RR. Congr. necnon Archiep. Taurinensis Typographi

MCMXXIX

Nihil obstat.

Romae, 15 Septembris 1928.

Fr. Eduardus Hugon, O. P.
S. Theol. Mag. et libr. Censor.

Imprimatur.

Libellus, cuius titulus: "*Meditationes de sanctis Ordinibus*" pro exercitiis spiritualibus a censoribus Ordinis probatus, auctore Fr. Guillelmo Schlössinger O. Pr. Magistro Novitiorum provinciae nostrae Bohemiae, imprimi potest.

Pragae Bohemorum, die 4 Octobris 1928.

P. Odilo Pospíšil, O. P.
Reg. fol. 156. *Prior Provincialis Prov. Bohemiae.*

(L. † S.)

Nihil obstat.

Taurini, die 23 Februarii 1929.

Can. Carolus Maritano, *Rev. Del.*

Imprimatur.

C. FRANCISCUS DUVINA, *Prov. Gen.*

Ius proprietatis vindicabitur (20-III-29).

PRAEFATIO

Libellus hic continet meditationes, prout titulus indicat: "De sanctis Ordinibus" *et vult materias meditandi exhibere tum iis, qui sese ad ordines minores et maiores recipiendos praeparant, tum iis, qui in ordinibus maioribus iam constituti decursu vitae suae iterum iterumque velint de dignitate et obligationibus sacramenti ordinis iam recepti meditari vel iam nota in se renovare.*

Meditationes hae imprimis destinatae sunt fratribus clericis Ordinis Praedicatorum aliorumque Ordinum religiosorum; sed certe etiam clericis et sacerdotibus saecularibus utilitati erunt.

Cum hucusque liber meditationum de sanctis Ordinibus pro exercitiis spiritualibus

3661

non existat, videtur hic libellus aliquem defectum supplere.

Notae circa locos citatos ex S. Scriptura aliisque libris in textu ipso appositae sunt.

Benedictionem copiosam Dei Optimi Maximi omnibus hoc libello utentibus pro diebus exercitiorum spiritualium exopta[illegible]

AUCTOR.

Olomucii, *die 1 Octobris 1928.*

DE PRIMA TONSURA

1. — Meditatio introductoria.

Non exercitia spiritualia consueta et communia nunc es aggressurus, carissime frater, sed extraordinaria et specialia, quibus feliciter elapsis satis et digne praeparatus intrare valeas sanctuarium Dei, ascendere gradibus usque dum ex ore Salvatoris audire merearis: « Iam non dicam te servum, sed amicum meum » (Ioan. 15, 15). Attendas igitur, quale et quantum beneficium Dei sis accepturus! Amicus et amicissimus tandem fies Salvatoris et Domini tui Iesu Christi! Ut autem digne praeparatus intrare valeas sanctuarium Dei, perpende accuratius, quid his diebus agere velis recollectionis spiritualis.

I.

Considera 1° te ad *magna* vocari, scilicet ad ministerium non terrestre, nec regale, sed divinum rite et fideliter ex officio adimplendum. Quacum reverentia igitur est tibi accedendum, quia deinceps participabis ministerio angelorum in templo sancto Dei!

Considera 2° *quis* te vocet, scilicet Deus ipse, optimus maximus, qui ex millibus, immo plusquam millibus — aliis forsan te melioribus relictis — te a tota aeternitate ad hoc ministerium elegit, ut Ei soli et unice ministres, aliis occupationibus prorsus neglectis. Qualis et quanta gratia! Et si tibi forsan parva videatur, adhuc maiora tibi praestabit.

Considera 3° *quis vocetur*, scilicet tu, homunculus, peccator, ingratus peccator absque tuis prorsus meritis, immo non obstantibus peccatis, quibus Deum saepe saepius, forsan et graviter offendisti! Intelligesne forte hanc maximam gratiam, quae te nunc expectat? Humilia te coram Omnipotente et agnosce te prorsus indignum tali immenso beneficio vocationis ad statum clericalem!

II.

Considera 1° quam parum adhuc praeparatus ac dispositus sis ad ordines sacros suscipiendos! Quapropter his diebus *purga animam* a sordibus, ab omni etiam minima immunditia,

ut purus et securus intrare possis Dei sanctuarium suscipereque ministerium tibi oblatum.

Considera 2° quanta cura *omnia addiscere* debeas, quae tibi deinceps ratione ministerii suscipiendi sunt explenda, ut fidelis servus inveniaris in domo Dei tui cum *virtutibus et dotibus* necessariis.

Considera 3° quomodo praesertim *orationi* operam his diebus dare debeas, cum Deus sit, qui incrementum dat, ut gratias necessarias et sufficientes ministerio suscipiendo accipias. Quaenam igitur tibi pro his diebus *propones?*

2. — « Ad deponendum comas ».

Clericus vis fieri vel potius Deus vocat te ad suum ministerium initiando te per manus episcopi tonsura capillorum, ut fias revera clericus aptusque ad ordines recipiendos. Adhuc in infimo gradu stas et intendis ascendere. Studeas ut hic ascensus fiat modo recto et debito, iuxta praescriptum Ecclesiae, animo praeparato et disposito, ut non solum circa te externae ceremoniae exerceantur, sed interior gratia Spiritus Sancti te repleat. Quapropter Pontifex in initio ante tonsuram orat « Dominum nostrum Iesum Christum pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capillorum suorum pro eius amore festinant, ut donet eis Spiritum Sanctum » (*Pontif. Rom.*). Ceremonia haec tonsurae capillorum indicat, carissime frater,

qualis deinceps esse debeas, mortificatus et crucifixus mundo, crucem Salvatoris tui portando, cuius et coronam habes deinde in capite.

I.

Considera 1° tonsuram imprimis significare in clerico *fugam omnis vanitatis mundanae*, cui iam die baptismatis, cum factus est christianus, ex ore patrini renuntiavit, quam tamen qua clericus adhuc magis et fortius fugere debet, quia amor mundi et amor Dei in uno eodemque subiecto consistere non possunt. « Non enim potestis Deo servire et mammonae » (Matth. 6, 24). Cum clericus Dominum ipsum sit electurus sortem suam, ante omnia mundo et vanitati eius nuntium mittere i. e. ei renuntiare debet.

Considera 2° *signum* huius contemptus vanitatis mundanae esse tonsuram capitis, et quidem signum perpetuum, ut scilicet in ipso corpore suo clericus aliquod memorativum deferat, quod eum quotidie exhortatur, ne obliviscatur se mundo renuntiasse et ad contemptum vanitatis mundanae teneri.

Considera 3° hanc tonsuram *fieri ab Episcopo*, qui vices Christi etiam in hac sacra ceremonia gerit; cur autem? Procul dubio, ne clericus hanc ceremoniam, nec obligationem gravem hanc tonsuram portandi parvipendat nec negligat eam implere. Si laicus vel quilibet alius ei primam tonsuram faceret, nonne videretur haec tonsura esse mere

humana? Si autem Christus ipse in persona Episcopi eam ei fecerit, clericus certe eam parvipendere non audebit.

II.

Considera 1° clericum ratione tonsurae obligari ad *mortificationem* internam et externam: crucifixus sibi debet esse mundus (cum sancto Paulo) et ipse mundo. *Externa* mortificatio consistit in cohibitione sensuum praesertim oculorum et gustus; evitare debet ea, quae mundus appetit et inhiare gaudiis supernaturalibus; refrenare excessus et desideria phantasiae et appetitus sensitivi. *Interna* mortificatio legem clerico imponit, ut et animam suam, intellectum et voluntatem praesertim submittat voluntati alterius, superioris scilicet sui ecclesiastici, cuius imperia exsequi tenetur.

Considera 2° hanc duplicem mortificationem clerico esse *necessariam* ratione status sui sacri, cuius obligationes graves et difficiles implere nequit absque spiritu mortificationis. Quomodo enim vellet castitatem perfecte observare absque mortificatione suiipsius continua? Quomodo posset ad altare Domini ministrare, nisi fortificatus et confirmatus per exercitium continuum arduae mortificationis? Quomodo posset semper et ubique fidelibus praesto esse, nisi roboratus assidua mortificatione?

Considera 3° etiam huius assiduae mortificationis a clerico continuo exercendae ton-

suram esse *signum memorativum*, cum exigat renovari per singulos menses et ita clerico inculcat obligationem, ut semper a se praescindat quaecumque ex natura corrupta peccaminosa, periculosa, superflua exoriuntur, quae nisi semper praescideris citissime in te bona quaeque suffocabunt.

III.

Considera 1° tonsuram clericalem esse imaginem — quod praetermitti nequit — *coronae Domini*, non aureae sed spineae. Perspicis igitur ad quid voceris, quid expectare debeas in statu clericali? Tribulationes, passiones, et si quid aliud invenire concupiveris vel speraveris, decipieris! Ad sortem Domini vocaris: age, accipe hanc sortem Domini tui! Numquam, quaeso, obliviscaris huius *spineae* coronae, cuius signum etiam tu in tuo capite geris!

Considera 2° huius coronae satis magnum numerum clericorum nostri saeculi pudere et taedere! Erubescunt Dominum suum coram hominibus, nolunt insigniri corona eius, forsan nec volunt esse eius ministri, famuli, fratres? Ubi est hic spiritus mortificationis, spiritus Iesu, quo debent esse imbuti? Quam maxime detestanda est talis ignavia in clerico!

Considera 3° coronam clerici in altera vita fieri ei *coronam gloriae*, si fideliter Domino suo servierit. Hac in terra participat in Christi munere regio (praeter sacerdotale et magi-

strale), quapropter eius et spineam coronam in capite defert; procul dubio in altera vita hoc munere non fraudabitur, immo augebitur corona gloriae. Renuntia igitur, carissime, saeculi voluptatibus et gaudiis, elige sequi Christum via regia crucis. Quid tibi propones?

3. — « Induat te Dominus novum hominem ».

In prima tonsura clericus accipit novam vestem, vestem clericalem, quae ipsum a ceteris omnibus distinguit et discernit, scilicet superpelliceum, quod singulis imponendo episcopus dicit: « Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia et sanctitate veritatis » (*Pontif. Rom.*: In conferenda prima tonsura). Certe alio scilicet strictiori modo nunc iuberis indui novo homine ac in baptismate, vel potius Dominus te induat ita, ut hunc novum hominem non amplius amittas. Sed qualis sit ille novus homo considerare nunc velis, carissime frater, ita, ut in te semper maneat, ex quo factus es clericus.

I.

Considera 1° novam *vestem ipsam,* quam in tonsura accipis, significare novum hominem a te induendum. Sed qualis est? Procul dubio ille, quem sanctus Paulus vocat *hominem spiritualem* (*Ep.* I *Cor.* 2, 15), qui

in se extinxit omne vitiosum et peccaminosum, Adam veterem cum omnibus concupiscentiis et desideriis carnalibus, qui et aliis verbis homo animalis et terrestris dicitur. Nisi clericus Adam veterem in se destruxerit, certe novum hominem induere non poterit.

Considera 2° hominem novum *inhiare exercitio et acquisitioni virtutum* cum tendat ad coelestia et supernaturalia. Novitas enim vitae in virtutibus christianis consistit; unde nisi clericus his virtutibus acquirendis insistere voluerit, nec nomen clerici iure merebitur. « Estote perfecti, sicut Pater meus coelestis perfectus est » (Matth. 5, 48), dicit Christus ad omnes suos discipulos, maxime ad clericos, qui aliis praelucere et bono exemplo praeire tenentur.

Considera 3° hominem novum sese manifestare etiam *exercitio bonorum operum*. « Fides absque operibus mortua est » (Iac. 2, *v*. 20), hoc dictum sancti Iacobi procul dubio maxime adstringit clericos. Unde quantum in prima tonsura novum hominem indueris, perspicies ex frequentatione et bonitate et qualitate bonorum operum tuorum, ex iustitia et sanctitate veritatis, qua ambulas.

II.

Considera 1° novum hominem, quem clericus induit, non *excludere tentationes*. Christus quidem nos redimendo abstulit a nobis peccatum et mortem diversasque poenalitates, non

autem pugnas et tentationes, et hoc ideo, ut per illas coelum comparare possemus. « Regnum enim coelorum vim patitur » (Matth. 11, *v.* 12), dicit Christus omnibus suis discipulis, imprimis clericis. Unde si tentationes sustinere debeas, ne diffidas nec pusillanimis evadas, sed potius gaudeas, cum tibi, carissime frater, sint valde necessariae. Imprimis in tui ipsius utilitatem: Oportet enim te fieri fortem militem Christi magnis tentationibus et pugnis spiritualibus feliciter superatis, sicut quercus crescunt et arbores magnae et robustae evadunt post maximas procellas.

Considera 2° tentationes tibi necessarias esse *ratione aliorum,* quibus postea ex propria experientia vias ostendere poteris ad illas feliciter superandas. Si nihil dimicaveris, quomodo aliis dux esse poteris in hac re tam difficili? Forsan rigidus, austerus, durus esses erga homines infirmos et imbecilles sicut legitur de pharisaeis in evangelio, qui fere crudeles se exhibebant erga turbam.

Considera 3° his tentationibus feliciter superatis in te *confirmari et corroborari* novum hominem, quem recepisti in prima tonsura absque tuis meritis et laboribus. Deus autem qui te creavit clericum sine te non vult te fieri clericum virtuosum sine te, ideo permittit te infestari a tentationibus, quandoque etiam gravibus et turpibus: nihil desperes! Christus vicit mundum (Ioan. 16, 33), et te adiuvabit, ne succumbas, nec amittas novum hominem, quem induisti.

III.

Considera 1º novum hominem significare etiam hominem *maximis gratiis supernaturalibus* exornatum. Tonsura est ianua ad ordines; hucusque de his gratiis utique, carissime frater, fere nihil accepisti, si abstrahas a gratia sanctificante, gratiis actualibus ceterisque donis supernaturalibus cum gratia sanctificante coniunctis. Sed maiora accipies de donis gratiarum pedetentim cum singulis sacris ordinationibus incipiendo ab ostiariatu usque ad presbyteratum. Quantus erit demum in te ille homo novus!

Considera 2º *maxima diligentia a te custodiri et conservari* debere illum hominem novum gratiarum supernaturalium, immo *enutriri*, ut possit in dies crescere et confortari. Non miror clericos huius obliviscentes de huiusmodi gratiarum augmento nihil curare; unde et facile a sua excellenti vocatione deficiunt et infeliciter pereunt. Sed quorum culpa?

Considera 3º clericum religiosum maiori obligatione *obstringi ad gratias Deo agendas* pro his gratiis supernaturalibus acceptis quam clericum saecularem, et plus obligari ad novum hominem in se conservandum. — Quid tibi propones, ut ille homo novus in te perpetuo conservetur? Ne negligas firma proposita. Tua enim res agitur!

4. — « Dominus pars hereditatis meae ».

Iuxta rubricam Pontificalis Romani clericus tonsurandus, dum episcopus ei crines detondet, orare debet: « Dominus pars hereditatis meae et calicis mei; tu es, qui restitues hereditatem meam mihi » (*Pontif. Rom.*: In conferenda prima tonsura). His verbis clericus Deo sese devovet, Deum eligit sibi partem hereditariam pro tota vita, quaecumque alia sponte relinquendo, omnibus aliis renuntiando. Dei igitur esse vult, Dei solius et Dei totus. Die quidem primae tonsurae nullo voto ad hoc sese obstringit, attamen coram altari solemniter hoc affirmat, unde et ad adimplendum tenetur. Quanta gravitas verborum! Quam sacra obligatio!

I.

Considera 1° « Dominum esse clerici partem hereditariam » *significare,* clericum deinceps speciali modo Dei esse sicut ex alia parte clericum nihil aliud appetere et desiderare nisi Deum. Mortificatus imo crucifixus est mundo, unde totaliter Deo deinceps adhaeret et adhaerere vult. Non divitias huius saeculi appetit, nec eius voluptates vanitatesque: his enim mortuus est, ut soli Deo

adhaerere possit. Multum revera Deo promittit, videat igitur, quomodo promissa explere possit, si insurgunt desideria carnis...!

Considera 2° Deum tibi ex *utraque parte*, carissime frater, esse partem hereditariam, scilicet ex sacra professione et ex ordine; unde dupliciter Deo obligaberis. Sed utrumque vinculum firmum est et sacrum; neutrum parvipendas nec negligas, imo tanto fidelius et firmius Deo adhaereas eique servias.

Considera 3° utrique huic vinculo respondere etiam *duplex praemium*, si Deo in statu clericali-religioso fideliter servieris. Si Abrahae Deus dixit: « Ero merces tua magna nimis » (*Gen.* 15, 1), quid a Deo clericus expectare poterit, si ei fideliter ministraverit tum quoad praemium terrenum, tum quoad praemium in altera vita? Vides, carissime frater, quomodo verba prolata in prima tonsura non sint vacua: « Dominus pars hereditaria mea ».

II.

Considera 1° clericum, ut Deus sit ei pars hereditaria, oportere Deo *fideliter servire* in tribus, quorum primum respicit *vitam clericalem* in communi i. e. vitam statu suo clericali dignam. Sacer est hic status, segregatus a communi commercio cum laicis, immunis a passionibus et peccatis saecularium, imbutus virtutibus christianis, theologicis scilicet et moralibus. Multa a te, carissime frater, re-

quiruntur, ut Deus revera esse possit etiam ex parte sua pars hereditaria tua.

Considera 2° officium speciale et proprium clerici esse *ministrare*, quocumque modo, in templo Dei sacras functiones peragendo. Huiusmodi functiones ad principalia officia clerici pertinent, quibus alia tamquam minus principalia et secundaria subordinantur. Unde perverse ageret, si sub praetextu aliorum laborum vellet haec ministeria sacra circa altare negligere.

Considera 3° Deum fieri partem hereditariam clerici *frequenti cum Deo conversatione seu oratione*. Quomodo posset Deus pars hereditaria clerici esse, si ipse Deum negligeret non cogitando de eo, nihil colloquendo cum eo, nihil adorando! Si Deus centrum est clerici, in quo omnes eius cogitationes, locutiones et actiones coadunantur, tunc certe maxime cum gaudio cum Deo loquetur seu quod idem est, orabit, orabit dico sine intermissione. Vides, quid haec verbula contineant: « Dominus pars hereditatis meae et calicis mei! ».

III.

Considera 1° clericum ad hunc finem obtinendum, ut Deus scilicet sit sibi pars hereditaria eius, diversa habere *media*, inter quae primum locum occupat *oratio* ipsa. Crede, carissime frater, clericum tantum valere, quantum orat, ipsumque fieri malum, quando in-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

cipit orationem negligere, abbreviare, omittere. Et haec dupliciter vera sunt, si agitur de clerico religioso; « corruptio optimi pessima! ». Orationem autem dico non solum oralem sed et mentalem, visitationem Sanctissimi Sacramenti, exercitium praesentiae Dei, bonae intentionis et alia huiusmodi.

Considera 2° aliud medium in hoc fine attingendo esse *studium* sacrarum litterarum tum Sacrae Scripturae tum operum Sanctorum Patrum, Doctorum et Scriptorum Ecclesiae, ut clericus ex studio roboretur et confirmetur in optimo spiritu Iesu, quo imbutus esse debet: Clericus tantum valebit, quantum in *sacris* litteris studuerit, sacris dico, quia ad officium pertinent.

Considera 3° non minus utile medium clerico esse *fugam mundi*, quia secus e mundo toties minor redibit, quoties absque utilitate in eo conversatus sit. Si sancti mundum fugerint et timuerint sibi, ne spiritum bonum amittant, quid tu tibi timebis! — Quid tibi propones, ut Dominus tibi vere esse possit pars hereditatis tuae? Qualia media et quomodo ea adhibebis?

5. — « De foro Ecclesiae facti estis ».

Ceremonia primae tonsurae peracta episcopus tonsuratos ita alloquitur: « Filii carissimi, animadvertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiae facti estis et privilegia clericalia sortiti estis » (*Pontif. Rom.*: In con-

ferenda prima tonsura). Iura et officia sunt correlativa; unde et Ecclesia eis, qui in eius ministeria intraverunt, specialia privilegia concedit, quae vulgo « privilegia clericorum » vocantur. Sed maius praemium est, quod per tonsuram christiani segregati et electi ex grege laicorum facti sunt « de foro Ecclesiae » i. e. pertinent ad eos, qui aliis praesunt, alios ducunt; inter principes igitur collocati sunt, utique inter sese in ordines et series divisi, ut potestas gubernativa modo ordinato exerceri possit.

I.

Considera 1° tonsuratos, i. e. infimos clericos iam esse inter eos, qui in Ecclesia aliorum duces sunt, aliis *praesunt*. Magnum quid est certe, aliis praeesse, alios ducere, praesertim si attendatur, hic agi de ordine supernaturali, de salute animae humanae per respectum ad finem supernaturalem, coelestem. Quis hominum ex se hoc recte peragere posset? Nullus, omnino nullus; sed gratia quibusdam electis confertur, ut hoc possint.

Considera 2° principale non esse praeesse sed *bene praeesse*, explendo scilicet officia status sui in honorem Dei et aedificationem fidelium, praelucendo bono exemplo virtutum ac bonorum operum laicis, qui in clericis venerantur suos duces nativos. Unde si negligunt clerici bene praeesse, potius obsunt quam praesunt, imo multi spiritualis ruinae.

Considera 3° ad hoc, quod bene praeesse possint, clericos maximas *accipere gratias* tum ratione ordinationis suae tum ad singula munera fideliter explenda. Attamen si huiusmodi gratias negligunt, eas parvipendunt, imo eis abutuntur, peiores fiunt laicis, infeliciter cadunt, miserrime pereunt. Status clericalis est maxima gratia et dignitas sed etiam maximum onus et grave, fere continuum periculum peccandi, si homo negligenter abutatur gratia suae vocationis.

II.

Considera 1° cum statu clericali coniungi etiam *privilegia clericalia*. Clerici enim sunt personae Deo dicatae, unde sacrosanctae, immunes a consortio et usu mundano et profano. Mundus, leges civiles nullum habent (vel potius deberent habere) ius ad illos. Etiamsi abstrahas a sic dictis privilegiis clericorum in sensu stricto inter quae v. gr. libertas a re militari, libertas a iudicio civili etc. numerantur, maximum videtur esse privilegium ille *honor sacer*, quo quilibet bonus clericus a populo fideli honoratur et quem tamdiu recipit, quamdiu vitam statui suo conformem ducit. Cum praedicto honore intime coniungitur *influxus secretus*, quem clericus bonus habet in fideles, quo conciliat sibi animos eosque capit et perducit ad vitam aeternam.

Considera 2° episcopum *non absque causa tonsuratis dicere:* « Cavete igitur, ne propter culpas vestras illa (privilegia) perdatis » (*Pontif. Rom.*: In conferenda prima tonsura). Quomodo ea perdere possunt? Peccaminose vivendo. Sed attendas, clericum prius amittere honorem et influxum in populum quam privilegia in foro Ecclesiae. Nec mirum est, cum egerit, unde contemptum meruit, scilicet peccata perpetrando.

Considera 3° clericum intantum frui his privilegiis, *inquantum ipse honorat et aestimat se* et *statum suum.* Cur clerici multi nostris temporibus contemptui et derisioni obiiciuntur? Quia abiiciunt seipsos opera perpetrando turpia, ministerium sacrum negligunt, unde iure merito populus eos contemnit.

III.

Considera 1° quamvis habitus non faciat monachum nec barba philosophum, tamen stricte Ecclesia postulat a clericis, uti episcopus ad tonsuratos dicit: ut « *habitu honesto, bonisque moribus atque operibus Deo placere studeatis* » (*Pontif. Rom.*: In conferenda prima tonsura). Unde sicut clericus coronam in capite deferre tenetur, ita et habitum seu vestimentum honestum, cui congruant boni mores bonaque opera. Hoc mandatum Ecclesiae te, carissime frater, dupliciter obstringit ad habitum tuum sacrum deferendum.

Absit a te, ut erubescas habitum tuum sacrum coram hominibus!

Considera 2° habitu honesto bonisque moribus clericum oportere imprimis *placere Deo,* non hominibus principaliter, sed Deo, quamvis homines toto exteriori suo aedificare debeat. Imprimis enim sunt ministri Dei, unde si placebunt Deo, et hominibus placebunt.

Considera 3° Ecclesiam a clericis postulare pauca, scilicet ut saltem *studeatis* placere Deo. Non oportet eos initio iam esse perfectos, sed sufficit, si student in dies magis magisque honesto habitu, bonisque moribus Deo placere. — Quid tibi propones circa hanc materiam, ut rite et digne frui possis privilegiis status clericalis?

6. — De statu clericali.

Clerici dicimur et sumus, uti scis, carissime frater, ex titulo iam habitus sacri Ordinis nostri et praesertim sacrae professionis. Iam enim est Deus pars hereditatis nostrae. Ex titulo sacrae ordinationis maiori iure clerici sumus, utpote duplici vinculo ad Dominum ligamur. Duplex vinculum, duplex et fortior obligatio semper Domini esse non solum secundum exteriora, sed revera et facto. Rasura et habitus non faciunt monachum, certo etiam non clericum. « Spiritus est, qui vivificat, caro i. e. exterior species non prodest quid-

uam » (Ioan. 6, 64) dicit Dominus. Quaropter nunc accessurus ad sanctuarium atendere debeas, carissime frater, ut *spiritum lericalis status*, qui non est alius nisi spiitus ipsius Salvatoris, addiscas eumque proundius cordi tuo imprimas.

I.

Considera 1° te, qua clericum et religiosum magis *possidere debere et plus de spiritu Jesu* quam ceteros fideles, quia es unum ex nobilioribus membris Ecclesiae. Si igitur hucusque hunc spiritum non acquisiveris, studeas iis exercitiis eum tibi comparare.

Considera 2° spiritum Iesu Christi nihil aliud esse nisi zelum, caritatem, sanctitatem. *Zelum* gloriae Dei, quatenus clericus exoptat ubique, semper et in omnibus honorem Dei, ut Dei voluntas fiat in coelo et in terra, ut regnum Dei per totum mundum propagetur, ut fiat unum ovile et unus pastor; quapropter verus clericus paratus est ad labores sustinendos, ad tribulationes patienter subeundas propter Deum eiusque gloriam. Ex hoc zelo nascitur *caritas* Dei et proximi, Dei propter seipsum, proximi propter Deum, illa caritas clerico, quae nihil aliud vult, intendit et amat, nisi quae secundum Deum sunt, illa caritas, quae numquam dicit « satis est », sed quae ad maiora propter Deum tendit, illa caritas, quae peccatores amat eosque salvare quaerit, illum peccata odit et abominatur, caritas igitur

boni pastoris et Samaritani misericordis. Ex coniunctione zeli et caritatis Dei exoritur *sanctitas*, quae in clerico est summa illarum virtutum, quibus aliis fidelibus ratione status sui — qua clericus et religiosus — antelucere debet, uti sunt puritas animae et corporis, aestimatio sui proprii status, amor orationis, studii, laboris in favorem proximi, humilitas, mansuetudo etc. ita ut dicere possit: « Christi bonus odor sumus » (II *Cor.* 2, 15).

Considera 3° et quaestionem tibi propone, num tu, carissime frater, iam aliquid *habeas* de huiusmodi spiritu Christi? Forsan iam elementa eius possides? Videas, quomodo in te hunc necessarium spiritum inserere possis?

II.

Considera 1° hunc spiritum Christi tibi esse valde *necessarium* non solum propter salutem aliorum, sed etiam propter salutem tui ipsius. Si tali spiritu careueris, alios perdes et tu ipse peribis! Horribilis cogitatio! Caveas ne ad hoc clericus et postea sacerdos factus sis, ut ipse reprobus efficiaris (I *Cor.* 9, 27), aliis ex tua culpa damnatis?

Considera 2° solum *Spiritum Sanctum* formare et erudire prophetas et apostolos seu quod idem est, dignos ministros Christi. Non indoles naturales, nec talenta, nec studia, nec scientiae faciunt clericos sed spiritus Dei. Quapropter sanctus Paulus dicit: « Idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non littera sed

piritu » (II *Cor.* 3, 6). Et hoc idem patet x historia sacra in Moysi, Iosue, Samuel, oanne Baptista.

Considera 3° *Deum* omni et soli, quem d statum sacerdotalem vocavit, etiam tri- uere de spiritu suo. Accepistine talem voca- onem Dei? Utique, secus Dominicanus vel lericus hic et nunc non esses. Ergo accipies ttiam spiritum Christi, si obstacula omnia moveris, quae huic spiritui obsistunt. Exa- nina te, quae et qualia obstacula hucusque ndem spiritum in te impediverint.

III.

Considera 1° *qualia media* adhibere debeas, t spiritum Christi his exercitiis vel accipias el, si iam habes, eum augeas. Nam « qui nctus est, sanctificetur adhuc » (*Apoc.* 22, . 11), est regula Dei. Duplex est medium: ° Expelle ex te *spiritum huius mundi*, qui irecte opponitur spiritui Christi, et qui consi- it in concupiscentia oculorum, concupiscentia arnis et superbia vitae. Ad hunc spiritum alum expellendum opus tibi est et erit mor- ficatione et pugna spirituali. 2° Pete fre- uenti et repetita *oratione* de spiritu Christi: Dabit enim Pater spiritum bonum peten- bus se » (Luc. 11, 13). Quapropter Ec- esia praescripsit exercitia spiritualia, quae rdinationem sacram praecedere debent.

Considera 2° quid hucusque feceris ad *spi- tum huius mundi expellendum?* Numquid

ei adhuc subiicieris? Quaenam passio mala in te viget, ad quaenam periculosa, peccaminosa te rapit? Forsan iam satis orasti de spiritu Christi?

Considera 3° quaenam *proposita* non solum pro die susceptionis sacrorum ordinum, sed etiam pro tota reliqua vita tua concipere velis, ut in dies magis magisque spiritum huius mundi evellas et exstinguas, quasnam speciales preces quotidie effundere intendas, ut Spiritus Christi in te de die in diem augeatur.

7. — De vita clericali.

Ex duplici capite, carissime frater, teneris ad vitam clericalem, ex ordine scilicet religioso, in quo professionem emisisti, et ex receptione tonsurae, qua statui clericali adscriptus es. Ipsa vita clericalis consistit in observatione quorumdam praescriptorum, quae Sancta Mater Ecclesia ministris suis imponit, ut sic sint vita et moribus vere segregati a laicis, eosque superent virtutibus praeluceant que exemplis. Ut autem hanc vitam clericalem revera ducere queas, vellem tibi nunc principales obligationes status tui proponere, ut sic ex accurata inspectione normas haurire queas, quas deinceps per totam vitam tuam religioso-clericalem observare teneberis.

I.

Considera 1° clericum, praesertim religiosum, imprimis obligari ad *orationem* (tum vocalem tum mentalem) in qua etiam includitur frequentia confessionis examinisque conscientiae, visitatio sanctissimi Sacramenti, recitatio rosarii, uti in novo codice iuris canonici (*Cod. iur. can.* c. 125) habetur. Mancipatur enim clericus unice et exclusive cultui divino, quapropter etiam orationum frequentiam colere debet. Specialem diligentiam certe adhibebit recitationi breviarii, cum illud sit oratio nomine et auctoritate Ecclesiae recitanda.

Considera 2° has orationes non esse subeundas *mechanice* sed *cum maxima diligentia, attentione et devotione,* ut sint omnes et singulae revera media sanctificationis suiipsius et aliorum. Si enim clericus inciperet has orationes quotidianas negligere, parvipendere, omittere, statim et amitteret spiritum fervoris ad ministerium divinum rite subeundum, et fieret mercenarius, qui omnia, quae pro Deo agere debet, sentiret molestias, onera importabilia, aerumnas.

Considera 3° praedictas *orationes nec esse abbreviandas nec omittendas* nisi ex gravi et valde rationabili causa, quia secus subito totum aedificium spirituale rueret. Qui enim hodie de facili omiserit vel abbreviaverit recitationem rosarii vel visitationem sanctis-

simi Sacramenti, cras omittet forsan etiam orationem mentalem vel horam officii divini et sic semper causas futiles inveniet ad omittendas diversas orationes praescriptas. Quomodo hucusque orationem tum vocalem tum mentalem et utriusque diversas species frequentasti? Quid tibi pro futuro in hac materia propones?

II.

Considera 1° clericum etiam teneri ad *studium scientiarum*, imprimis *sacrarum*, ut fidelis minister in domo Dei esse possit. Habet enim grave officium deinceps qua sacerdos viam Domini alios docere, quod procul dubio praestare non poterit, nisi ipse in sacris libris sit sufficienter, vellem dicere abundanter instructus.

Considera 2° quam necessarium sit, ut tu, carissime frater, *annos studiorum insumas* diligenter ad has litteras sacras acquirendas, imprimis quoad attinet theologiam dogmaticam, pastoralem cum morali, exegesim sacram historiamque ecclesiasticam, ut deinceps potens sis exhortari in doctrina sana et eos, qui contradicunt arguere (*Tit.* 1, 9). Nunc tempus habes ad fundamenta scientiarum theologicarum iacienda, postea videas, quomodo superaedifices. Nec in hoc studio sacro tepidus sis, quia forsan — absque sufficienti scientia — gravia damna aliis inferre posses!

Considera 3° hoc studium litterarum sacrarum tibi *semper necessarium esse* usque

ad finem vitae tuae, quousque praesertim occupatus es in cura animarum, i. e. in ambone, cathedra scholae, confessionali, in vita publica. Clericus fere ubique et omni tempore — opportune, importune — interrogatur a diversis hominibus quoad quaestiones fidei et morum. Vae, si respondere nesciat! Quam facile aliis scandalo esse poterit i. e. causa ruinae spiritualis! Quomodo autem respondere vellet, si non praesentialiter in memoria haberet, de quibus quaeritur? Vides, quam necessarium etiam tibi semper sit studium scientiarum sacrarum. Quid igitur nunc circa studium litterarum tibi propones?

III.

Considera 1° *inter virtutes,* quibus clericus religiosus excellere debet, primo loco poni *castitatem,* ad quam servandam perfecte evitet omnem familiaritatem et inutilem conversationem cum mulieribus, inutilem inspectionem imaginum mundanarum, praesertim publice expositarum, cohibeat oculos ambulando per plateas urbis, declinet libros non religiosos, attendat, ne unquam aliis sit scandalo. In hoc puncto nulla cautela est superflua.

Considera 2° non minus necessarium esse clerico *temperantiam* circa cibos et potus. Iuxta canonum praescripta clericus devitet tabernas. Tum ad castitatem apprime servandam tum ad labores in ministerio Dei suscipiendos temperantia quoad potus valde

est commendanda. Qualis ignominia est pro clerico, si vellet corpus suum commaculare nimis potibus, quod postea suscepturum sit Corpus et Sanguinem Christi! Si sacerdotibus Veteris Testamenti prohibitus erat usus cuiusque liquoris inebriantis, dum in officio sacro actualiter occupati erant (*Lev.* 10, 9), clericus novae legis forsan minus ad sobrietatem obligabitur?

Considera 3° similiter necessarium esse *humilitatem*, quia minister et discipulus eius es, qui non venit ministrari, sed ministrare (Matth. 20, 28). Qualis esset contradictio: superbus minister Christi! Vides, quod minister Christi esse non possis absque profunda humilitate? Examina nunc conscientiam tuam, in quo gradu iam praedictas virtutes acquisiveris et quid facere velis, ut in maiori gradu eas acquiras!

DE QUATTUOR ORDINIBUS MINORIBUS

8. — De officio Ostiarii - I.

Ianua tonsurae primae ingressus ad sacramentum ordinis, infimum gradum eiusdem recipies sic dicta ordinatione *ostiariatus*, carissime frater. Officium principale ostiariorum, uti nomen indicat, ad ostia ecclesiae explendum est. « Videte, dicit episcopus ad ordinandos, quae in domo Dei agere debeatis. Ostiarium oportet percutere cymbalum et campanam; aperire ecclesiam et sacrarium (sacristiam, ubi vasa et paramenta sacra reponuntur) et librum aperire ei, qui praedicat » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione ostiariorum). Infima ideo ostiario committuntur

ministeria, sed infima dico solum per respectum ad altiora; magnum quid enim est curam templi habere, certe maius officium quam quodcumque terrenum in aliqua aula regia. In horum ministeriorum signum ostiarius in susceptione huius ordinis debet claudere et aperire clavibus ecclesiae ostium et pulsare campanam.

I.

Considera 1° *ministeria*, quae hic committuntur ostiario, eidem obtingere *per totam vitam* in statu sacerdotali. *Claves* habet ecclesiae, quibus providere debet, « ne per negligentiam suam illarum rerum, quae intra ecclesiam sunt, aliquid depereat » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione ostiariorum). Res sacras, maximos thesauros his clavibus custodire tenetur. Et quicumque curam alicuius ecclesiae habet, ipse debet invigilare (nec hanc curam aedituo saeculari vel laicali relinquere potest), ne aliquid in ecclesia depereat.

Considera 2° ostiario praesertim inculcari: « ne per *negligentiam* suam aliquid ex ecclesia depereat ». Quamvis clerici habeant curam palatii Regis caelestis, tamen multi eorum hodierno tempore negligentes inveniuntur circa hanc sacram obligationem suam, non bene custodientes domum Dei, unde res Deo sacrae auferuntur a furibus, imo vasa sacra cum speciebus sacramentalibus e tabernaculo extrahuntur.

Considera 3° huiusmodi negligentiam oriri ex *fide infirma* clerici; si enim fidem firmam et vivam haberet de eis, quae in ecclesia reconduntur, quibus maius et excellentius cogitari non potest, certe accuratius attenderet, saepe saepiusque inspiceret, num omnia in ecclesia salva conserventur, nec ex hac frequenti vigilantia clericorum fures auderent adire ecclesiam furandi causa. Claves ecclesiae habes; cura, ut homines mali ab ea arceantur.

II.

Considera 1° clericum habere etiam claves ecclesiae, ut dicit episcopus, ut « certis horis *domum Dei aperiat* fidelibus et semper claudat infidelibus » (*Pontif. Rom.*, l. c.), iuxta antiquam praxim Ecclesiae, qua omnes, qui symbolum fidei non callebant, ab ingressu templi arcebantur. Ministri enim Dei est invigilare, ne indignis pateat ingressus in domum Dei, qua congregantur solum filii veri Dei.

Considera 2° ratione clavium ostiarios vere dici *custodes* domus Dei, quibus tota responsabilitas de ea committitur. Unde et fideles esse debent in hac custodia, secus inutiles essent et mererentur ex officio eiici. Numquam clericus obliviscatur huius officii custodis, praesertim si alicui ecclesiae praeficitur. Custodiat igitur ea, quae intra ambitum ecclesiae sunt, invigilet, ut omne profanum ab ecclesia arceatur.

Considera 3° clericum specialiter invigilare debere circa ea, quae *immediate inserviunt cultui divino,* ut rite conserventur, parata semper adsint, quando ad usum adhiberi debent. Accuratissimam diligentiam expetit altare maius, ubi Corpus Christi asservatur, ut ibi maxima decentia appareat.

III.

Considera 1° ostiariis committi etiam curam *cymbalorum et campanarum* ad convocandos fideles eosque excitandos quoad capita principalia liturgiae sacrae. Et etiam hoc est ministerium sacrum, valde meritorium, si fiat recta intentione, quia ordinatur ad summum, quod homo agere potest in terra; meritorium praecise quia per hoc alii excitantur ad Deum laudandum et honorandum.

Considera 2° usum campanarum esse actionem mere *materialem,* unde in eo periculum adesse profanationis, negligentiae, distractionis in domo Dei. Eo magis clericus debet attendere, ne ipse vel alii, quibus usum campanarum committit, aliquid in ecclesia agant, per quod Deus in domo sua iniuria afficiatur. Quot sunt huiusmodi peccata profanationis, quae a personis ecclesiasticis perpetrantur in ecclesia et quae clerico imputantur, quia ipse remisse suo officio perfungebatur!

Considera 3° clericum etiam ratione sui officii ostiariatus attendere debere, ne *organis, instrumentis musicis et cantibus* in ecclesia

ca fiant, quibus sanctitas domus Dei laeditur. Laici circa haec sensum religiosum non habent et facile profanant domum Dei; unde clerici est invigilare, ut etiam circa cantum sacrum decor domus Dei servetur. — Quid tibi proponis?

9. — De officio Ostiarii - II.

Officium ostiariorum breviter dici potest cura circa domum Dei; hoc etiam innuitur verbis episcopi, dum tradit ordinandis claves ecclesiae: « Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione ostiariorum). Illud « quasi » rationem Deo reddendam non dubiam vel incertam proponit, sed rem de facto indigitat. Cura domum Dei tibi, carissime frater, ratione ostiariatus committitur et commissa manet cura, quandocumque deinceps alicui ecclesiae praeficieris. Sed tunc attendas domum Dei *ab omni immunditia immunem* servare; invigiles omnimodae munditiae eius, imo cures de summo decore, quo domus Dei ornata esse debet.

I.

Considera 1° domum Dei *immunem esse* debere *ab omni immunditia* sordibusque quibuscumque, imprimis quod attinet ad aedificium exterius et interius ecclesiae. Salvator

libenter inhabitat etiam pauperrimam domunculam, sed mundam esse vult; unde sordes squalidas odit. Quapropter curandum est, ut ecclesia lavando, verrendo, abstergendo munda servetur. Qualis sacerdos, talis ecclesia! Ecclesia sordida signum est sacerdotis minime curantis de puritate animae propriae.

Considera 2° specialem diligentiam requiri a clericis *circa paramenta et vasa*, ut solum munda in liturgia sacra adhibeantur. Gravis irreverentia erga Deum est uti quacumque re sordida et immunda in ecclesia, sed adhuc gravior, si illae res squalidae tangunt immediate Corpus Christi eucharisticum, uti calices, patenae, corporalia immunda. Nec talis immunditia vasorum ac paramentorum excusari potest per sumptus magnos, qui ad eorum purificationem essent necessarii: quia etiam pauperrimae ecclesiae Deus semper providet, ut experientia docet, de personis quae auxilio et pecunia libenter his necessitatibus succurrunt quotiescumque audiunt cultui divino quaedam esse necessaria.

Considera 3° ad omnem immunditiam a quacumque ecclesiastica supellectili arcendam imprimis requiri, ut tum clerici tum aliae personae auxiliantes *manibus mundis* omnia tangant, quae usui sacro inserviunt, ut diligentissime attendant, ne quid harum rerum commaculent, lacerent, deturpent etc. Hac accurata attentione et diligentia quam facillime quaelibet irreverentia erga res sacras evitatur.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

II.

Considera 1° curam circa domum Dei *positive* consistere imprimis in *saepe repetita purificatione* tum aedificii interioris ecclesiae tum eorum, quae in ea continentur, uti sedium ubi resident clerici et fideles, confessionalium, altarium, mapparum, pannorum, paramentorum, vasorum etc. Laudatur studium clerici, si diligat mundum habitaculum proprium; sed maius studium requiritur circa domum Dei munde servandam.

Considera 2° specialem diligentiam commendari clerico *circa lumen ardens* coram sanctissimo Sacramento, quod perpetuo nutriri debet et mundum conservari, ut clare lucere possit. Obligatur clericus ad hoc lumen nutriendum tum ratione summae reverentiae erga Iesum eucharisticum tum ratione fidelium, qui secus nesciunt, utrum Christus sub speciebus sacramentalibus in ecclesia adsit necne.

Considera 3° adhuc aliud requirere attentam diligentiam clerici in ecclesia, ut procuret tum *silentium* maximum tum *conservationem* loci sacri mundi ex parte fidelium, ne scilicet hi rumore et clamore suo vel sputis et aliis sordibus ecclesiae sanctitatem conturbent. Eum in finem hinc et inde clericus fideles de hac sanctitate in loco sacro observanda commonefacere tenetur.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

III.

Considera 1° clericum ratione officii sui ostiariatus ad adhuc quid excellentius obligari, scilicet *ad decorem ecclesiae* sicut sacerdos post lotionem manuum ad altare in missa orat: « Domine, dilexi decorem domus tuae » (Ps. 25, 8). Quomodo potest hanc orationem tuta conscientia recitare, qui nedum curet de decore domus Dei, etiam munditiam eius negligit!

Considera 2° hunc *decorem* — praesupposita emundatione ecclesiae — consistere in omnibus iis, quibus Deus magis honoratur et glorificatur, uti in exornatione altarium coronis et floribus et pannis, in instituendis specialibus devotionibus occasione diversorum festorum, in proferendis cantibus solemnibus etc. Circa haec — absit tamen qualiscumque vanitas saecularis, qua Deus magis laeditur quam honoratur — valet adagium: « Pro Deo sola optima! ».

Considera 3° haec *supererogatoria decoris domus* Dei adhiberi debere praesertim *magnis solemnitatibus* et earum octavis, tum propter Deum, qui his maxime honoratur et celebratur, tum etiam propter populum cuius devotio his sensibilibus signis magis excitatur et accenditur proinde libentius ecclesiam visitat et omnes obligationes suas religiosas adamussim explet. Experientia docet, culpam clericorum

sse, quod populus tepidus factus sit quibus-iam locis, quia clerici domum Dei negligunt .nde et a fidelibus negligitur: Qualis sacerdos, alis populus! — Quaenam tibi propones?

10. — De officio Lectoris - I.

Ordinandos ad ordinem lectoratus episcopus ita alloquitur: « Lectorem siquidem oportet egere ea quae (vel ei qui) praedicat, et le-tiones cantare, et benedicere panem et omnes fructus novos. Bene lectiones sacras ad ae-dificationem fidelium absque omni mendacio falsitatis proferre debent, ne veritas divinarum lectionum incuria vestra corrumpatur. Quod autem *ore legitis, corde credatis,* atque opere compleatis, quatenus auditores vestros verbo pariter et exemplo vestro docere possitis » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione lectorum). Habes hic tua pauca, quae tibi, carissime frater, incumbunt ratione officii lectoratus; quae si bene adimpleveris, bene officio tuo fungeris.

I.

Considera 1° clericum lectorem in ecclesia coetu fidelium congregato *legere* debere. Quaenam? Solum verba Dei et quidem ad intelligentiam et aedificationem fidelium. Verba Dei leges! Quanam attentione, diligentia, de-

votione leges? Et quae sunt illa verba Dei? Summa fidei mysteria, praecepta Dei, quorum observatio perducit ad vitam aeternam, media saluberrima salutis nostrae. Quid potest altius cogitari?

Considera 2° clericum verba Dei legere debere in ecclesia ad *aedificationem fidelium*, quatenus ex ipsis verbis Dei auditis fructum percipiant spiritualem pro animabus suis. Qui enim verba Dei percipit, consolationem, exhortationem, instructionem recipit et sic lectio librorum sacrorum sibi fructuosa redditur, praesertim si lecta recipit animi recollectione, devotione et attentione.

Considera 3° hanc aedificationem fidelium solum tunc causari, si clericus legenda *profert voce clara*, intelligibili, ut ab omnibus audiri possit et suavi simul exhibens signa exteriora interioris suae devotionis, absque clamore, praecipitatione, culpabili negligentia. Horribile dictu, quaenam quandoque fideles in ecclesia ex ore clericorum percipiunt! Unde mirum non est, si laici verbum Dei negligunt, quando clericos eo abuti vident.

II.

Considera 1° clericum ea, quae ore legit, *corde credere* debere, fide firma, viva et forti. Fide *firma* quatenus *omnia* et *singula* credenda recipit et profitetur, quae et prout ab Ecclesia proponuntur absque minima dubitatione de eis, quin haec fides ab adver-

ariis infirmari possit. Forsan videtur haec notatio superflua; sed valde necessaria est, si advertas et attendas, carissime frater, ad modernismum, cui etiam quoad diversa puncta nonnulli clerici faverunt et paulatim a fide defecerunt. Caveas a malo et infelici exemplo eorum!

Considera 2° hanc fidem oportere esse *vivam*, nimirum bonis operibus, secus mortuam esse. Dicit enim Christus: « Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est » (Matth. 7, 21). Et ulterius: « Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo daemonia eiecimus et multas virtutes fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos, discedite a me, qui operamini iniquitatem! » (Matth. 7, 23). Horribile dictum ex ore Salvatoris, quod clericis accidere poterit, si caruerint fide viva. Imo de ipsis enim praecise dicit hoc Christus.

Considera 3° fidem clericorum oportere denique esse *fortem*, exteriori scilicet confessione verbo et facto; unde si opus esset, hilari vultu clericus deberet pro fide animarum et vitam propriam ponere et cuicumque alteri bono propter Deum renuntiare. Hoc in sensu clericus debet « adhuc et animam suam » (Luc. 14, 26) odio habere et tali fortitudine in confessione fidei firmae et vivae fidelibus bono exemplo praelucere.

III.

Considera 1° clerici esse ea, quae legit et corde credit *opere* complere praecepta Dei observando, virtutes exercendo. Illud « opere complere » difficillimum est, sed etiam principalissimum. Verba movent, sola exempla trahunt. Quid prodest praedicare, nisi clericus ea, quae praedicat, exemplo suo corroborare possit?

Considera 2° in *huius rei confirmationem* episcopum ordinandis dicere: « Dum legitis, in alto loco ecclesiae stetis, ut ab omnibus audiamini et videamini figurantes positione corporali, vos in *alto virtutum gradu* debere conversari » (*Pontif. Rom.*, l. c.). Non igitur communis gradus virtutum clerico sufficit, sed altus gradus exigitur, quasi perfectio quaedam.

Considera 3° hunc altum gradum virtutum *praecise a te*, carissime frater, requiri, qui ordines sacros exerces in statu religioso, et sic quasi ex officio teneris esse perfectus, positus in quodam saltem altiori virtutum gradu. Accedit, quod tibi hic status religiosus innumeras occasiones et gratias exhibet, ut perfectus fieri possis, altiorem in dies virtutum gradum attingendo. Duplici igitur vinculo ad perfectionem obligaris, tum ex voto religionis, tum ex parte ordinationis. — Quaenam tibi propones, ut ea quae legis, et corde firmiter credas et opere compleas?

11. — De officio Lectoris - II.

Titulus excellens lectoribus imponitur ab episcopo: « Verbi Dei relatores » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione lectorum). Quamvis adhuc non sint ad praedicationem sacram vocati, tamen « lectorem oportet legere ea, quae praedicat... Studete, igitur, verba Dei, scilicet lectiones sacras, distincte et aperte, ad intelligentiam et aedificationem fidelium absque omni mendacio falsitatis proferre, ne veritas divinarum lectionum incuria vestra ad instructionem audientium corrumpatur » (l. c.). Unde in tradendo libro sacro dicit episcopus lectoribus: « Estote verbi Dei relatores ». Specialem igitur *curam episcopus lectoribus committit circa libros sacros*, quae consistit in eis legendis, exponendis, defendendis, utique praecise tunc, quando presbyteri demum facti sunt.

I.

Considera 1° primam et principalem obligationem clerici — eo magis, si religiosus sis — consistere *in libris sacris legendis atque studendis*, meditando in lege Domini die ac nocte (Ps. 1, 2), ut hanc legem optime intelligat, eamque propria vita exprimat. Hos libros prae ceteris *legere* debet,

attenta lectione eos sibi intimius imprimere, praesertim libros novi testamenti, quibus maxima et nobilissima pars divinae revelationis continetur. Nisi clericus optime calleat hanc divinam revelationem, inutilis erit minister verbi Dei.

Considera 2° hanc lectionem sacrae scripturae oportere etiam esse *assiduam*, quotidianam; difficiles, valde obscuri sunt libri sacri, unde requirunt frequentem lectionem, continuum studium, secus memoriae veritates eorum imprimi non possunt. Et haec lectio assidua quotidiana eo necessarior est, quo facilius homo obliviscatur eorum, quibus aliquando studuit.

Considera 3° lectionem sacrae scripturae, nisi *devota* sit, prorsus inutilem esse. Non enim scientes legem beatificantur, sed factores eius (Iac. 1, 25). Unde, carissime frater, numquam negligas hanc attentam, assiduam et quotidianam sacrae scripturae lectionem, semper tamen praemissa ferventi oratione, ut Deus te illuminet voluntatemque tuam moveat circa ea, quae legere nunc intendis.

II.

Considera 1° officium clerici, utpote quia in utilitatem aliorum sacros ordines recipit, esse *libros sacros aliis exponere*. Ex quo patet, quam necessarium ei sit studium fervens, assiduum et devotum sacrae scripturae.

Quomodo exponere poterit, si non didicerit? Nonne in periculum incidet errare, falsa proferre, haereses docere et sic alios in errorem inducere, cum libros sacros ipse non intelligat? Periculosa igitur res esset, exponere velle textus sacrae scripturae ante studium profundum!

Considera 2° hanc expositionem clerico incumbere *ex officio,* unde in conscientia ad ipsam obligatur, tum in ecclesia munus praedicatoris seu doctoris auctorizati exercendo tum in schola iuventutem instruendo circa doctrinam salutis. Ex ore eius pendent animae immortales, pretioso sanguine Christi redemptae, cives regni caelestis. Vae illi, si ex eius culpa propria perirent! Quot iam perierunt, quia clerici hoc munere suo sacro pessime functi sunt!

Considera 3° expositionem hanc praesertim nostris temporibus valde *difficilem* esse, cum ei a fidelibus circa revelationem divinam quaestiones satis difficiles declarandae proponantur, ad quas respondere tenetur. Volunt enim illuminari et ius habent hoc lumen a clerico recipere. Quomodo his esurientibus veritatem et iustitiam divinam exponere poterit, si ipse nesciat?

III.

Considera 1° curam clerici circa libros sacros consistere etiam in *eorum doctrina defendenda.* Quis nesciret, quomodo nostris tem-

poribus doctrina fidei impugnatur? Docti et indocti, furore quasi insatiabili, religionem christianam invehuntur. Clericus ad hos impetus tacere non potest nec debet. Ex officio tenetur fidem catholicam, veritates sacras defendere a quocumque impugnantur. Quomodo autem defendere poterit, si ipse eas non intelligat?

Considera 2° hanc apologiam multo difficiliorem esse quam simplicem expositionem. Adversarii enim subtiles quandoque obiiciunt difficultates circa fidem catholicam inficiendam et in animis fidelium labefactandam. Nec parcunt sagittis telisque; praesertim mysteria profundissima fidei nostrae materia sunt impetus eorum. Vides igitur, carissime frater, quam necessarium sit clerico studium attentum, assiduum ac devotum sacrae scripturae!

Considera 3° episcopum lectoribus dicere etiam hoc valde necessarium: « Quod ore legitis, corde credatis atque *opere compleatis;* quatenus auditores vestros (qui non sunt omnes fideles exemplares) *verbo pariter et exemplo vestro* docere possitis » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione lectorum). Optima igitur apologia veritatum fidei nostrae est atque manet proprium bonum exemplum clerici. Putasne nostro tempore tot a fide defecisse, si clerici bono exemplo praeluxissent? — Quaenam igitur tibi propones circa curam librorum sacrorum tibi commissorum?

12. — De officio Exorcistae - I.

Ordinandos ad officium exorcistarum episcopus ita alloquitur: « Accipitis itaque potestatem imponendi manum super energumenos et per impositionem manuum vestrarum, gratia Spiritus Sancti, et verbis exorcismi pelluntur spiritus immundi a corporibus obsessis » (*Pont. Rom.*: In ordinatione exorcistarum). Tradita postea hac potestate orat episcopus: « Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos in officium exorcistarum, ut per impositionem manuum et oris officium, potestatem et imperium habeant spiritus immundos coërcendi, ut probabiles (i. e. qui fideli ministerio probati) sint medici Ecclesiae tuae... » (l. c.).

I.

Considera 1° quam *insignis* sit *gratia* haec, quam hoc ordine accipis, carissime frater, scilicet potestas super spiritus immundos, quatenus impositione manuum tuarum iuxta formulam ab Ecclesia praescriptam poteris tu, homo debilis, spiritus a Deo apostatas expellere a corporibus obsessis et generaliter eos coërcere. Vides, quod non mediocris sit haec

potestas, quamvis ponatur inter ordines minores et conferatur ministris inferioribus, utpote quia Ecclesia maiores conferre potest potestates, scilicet circa Christi corpus verum et mysticum.

Considera 2° hanc potestatem ex propria auctoritate exerceri non posse, sed solum *nomine Ecclesiae auctoritateque eius*, quapropter et exorcistae appellantur « probabiles medici Ecclesiae » (*Pontif. Rom.*, l. c.), i. e. tales, qui probitate vitae suae apti sint ad curandos homines obsessos ab infectionibus daemonum. Qua minister Ecclesiae igitur habes hanc insignem potestatem, quam propterea exercere non poteris nisi nutu et auctoritate Ecclesiae.

Considera 3° hac restrictione non obstante tibi qua exorcistae *semper obvenire quandam auctoritatem super daemones* ita quidem, quod tua oratio privata contra daemones adhibita aqua lustrali toto caelo differat ab oratione privata laicorum et ministrorum non exorcistarum, quae oratio propterea coërcebit influxum daemonum. Magni ideo habeas hanc insignem potestatem super daemones; cave, ne parvipendas eam nec contemnas.

II.

Considera 1° potestatem super spiritus immundos tibi tradi *speciali quadam formula et oratione*, qua episcopus petit, ut Deus ipse dignetur ordinandos benedicere i. e. ad hoc

officium consecrare (l. c.). Hac benedictione accepta considera te, carissime frater, ministrum consecratum et benedictum ad potestatem super spiritus immundos exercendam.

Considera 2° hac benedictione tibi obvenire specialem *gratiam* ad *munus tuum rite et fructuose obeundum,* sicut in omnibus ordinibus ab Ecclesia collatis. Et quamvis hoc munus secundum morem nunc consuetum exercere nequeas qua minorista, tamen qua *sacerdos* deinceps exercere poteris tum solemnibus exorcismis licentia ab Ordinario obtenta tum in administratione sacramentorum, uti baptismi, poenitentiae, tum in diversis benedictionibus Ecclesiae, uti in conficienda aqua lustrali, in benedictionibus domorum, infirmorum (cfr. Formulam approbatam ab Ecclesia in visitatione infirmorum applicando eis benedictionem S. Vincentii Ferrerii), moribundorum etc. Vides igitur hanc gratiam non frustra tibi conferri.

Considera 3° ad praedictam gratiam obtinendam etiam a te requiri quandam *praeparationem animae* sicuti et *fidelitatem,* ne gratia obtenta priveris. Et quia Ecclesia adversus daemones semper in omnibus exorcismis et benedictionibus adhibet aquam benedictam, iam nunc discas maxima devotione hac aqua lustrali uti in vita tua quotidiana v. gr. intrando vel exeundo cellam, capellam vel ecclesiam, cum surgas mane vel cubitum eas nocte, in repellendo tentationes daemonum. Quomodo hucusque in hoc te ex-

hibueris utendo aqua lustrali? Forsitan negligenter egisti? Emendes quae male egeris et proponas pro futuro utilia et necessaria.

III.

Considera 1° ad hoc, ut exercere possis qua minister Ecclesiae imperium super daemones, *te ipsum superare debere fortiter tentationes diaboli*. Quomodo enim cohibere posses influxum eius in alios, si eum a te repellere non valeres? Memineris etiam diabolum non parum te impugnaturum, utpote quia tu, qua minister Ecclesiae, es adversarius eius ex officio, qui potestatem diaboli super homines coarctare teneris.

Considera 2° quomodo tentationibus diaboli occurrere velis, scilicet *vigilando et orando* iuxta mandatum Salvatoris: « Vigilate et orate ». *Vigilando*, ut statim resistere possis, cum exsurgat tentatio, *orando*, ut gratia divina suffultus virtutem habeas sufficientem resistendi. Nisi haec media diligenter adhibueris, feliciter resistere non poteris.

Considera 3° his praedictis mediis adiungi etiam oportere *ieiunium* i. e. mortificationem corporis. « Hoc enim genus daemoniorum eiici non potest, dixit Salvator, nisi oratione et ieiunio » (Matth. 17, 20). Diligenter igitur nunc te examina, quomodo hucusque tentationibus diaboli restiteris, utrum media adhibueris, quid deinceps facere velis, ut in fu-

iuro facilius infestationes daemonum superare possis. Ne obliviscaris proposita specialia et determinata facere, ut semper fidelis miles Christi inveniaris.

13. — De officio Exorcistae - II.

In oratione ad ordinandos in officium exorcistarum episcopus etiam haec verba notatu digna profert: « Studete igitur, ut sicut a corporibus aliorum daemones expellitis, ita a mentibus et corporibus vestris omnem immunditiam et nequitiam eiiciatis: ne illis succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis. Discite per officium vestrum vitiis imperare, ne in moribus vestris aliquid sui iuris inimicus valeat vindicare » (*Pont. Rom.*: In ordinatione exorcistarum). Exorcistis igitur specialiter incumbit officium vitia et peccata ex se expellere secus apti non essent ad daemones effugandos e corporibus aliorum.

I.

Considera 1° iuxta mentem Ecclesiae exorcistas debere a propriis mentibus et corporibus eiicere omnem *immunditiam et nequitiam,* sub qua intelligitur quodlibet peccatum, praesertim grave, quo homo fit servus diaboli, ne dum velit ex aliorum corporibus

expellere daemones, ab ipsis illudatur. Imperare aliis nemo poterit, nisi fuerit superior eius; quomodo igitur posset minister Ecclesiae imperare daemonibus, cum ipse esset servus eorum?

Considera 2° specialem requiri a ministro Ecclesiae *spiritualem munditiam*, qua scilicet anima eius ornata est et quae consistit in omnibus illis virtutibus, quae ad statum clericalem, et si est religiosus, etiam ad statum religiosum pertinent, quae sunt fides viva, spes firma, caritas fervens, obedientia hilaris, humilitas erga omnes, mansuetudo et patientia etc.

Considera 3° utrumque concurrere debere, ut quis sit aptus exorcista i. e. imperator daemonum, scilicet et esse immunem ab omni immunditia et nequitia et esse ornatum qualibet virtute convenienti suo statui, cum negativum sine positivo ad nihil valeat. Examina nunc conscientiam tuam, utrum iam gaudeas illa *immunitate* ab omni immunditia et nequitia, an forsan adhuc subiiciaris alicui vitio statum tuum dedecenti, uti iracundiae, impatientiae, sensualitati, superbiae, pigritiae. Hoc vitium statim energice expellere incipias nec desistas, quousque vestigia eius in te adhuc repereris. Examina etiam conscientiam tuam circa *munditiam spiritualem*, num iam habeas virtutes praedictas et quo gradu. Forsan multum laborem invenies, invenies dico, si sincere te virtutibus necessariis instruere velis. Nec hunc laborem reponas ad

tempus posterius, quando scilicet te praeparare debes ad ordines maiores, quia tunc temporis iam virtutibus excellere debes.

II.

Considera 1° Deum a te, carissime frater, expostulare *immunitatem omnimodam* ab omni immunditia et nequitia sicuti et *omnimodam munditiam spiritualem*, quamvis forsan videas plurimos clericos ea carere. Unde hoc? Quia cito post ordinationem obliviscuntur eorum, ad quae ratione ordinationis tenentur. Et cur obliviscuntur? Quia parum tempore praeparationis ad ordines erant intenti, ut obligationem sui status omni ex parte cognoscerent easque cordi profundius inculcarent. Et ideo fervorem cito etiam amittunt et in peccata labuntur.

Considera 2° te exemplum horum infelicium minime sequi debere, ne simul cum ipsis aliquando pereas. E contra ad *meliora et maiora* tendas non solum his diebus exercitiorum sed etiam toto tempore vitae tuae! Vae tibi, si neglexeris huic immunitati ab omni immunditia in dies magis studere, si non vires tuas impenderis ad proficiendum in virtutibus! Cades tunc certe et quidem profundius aliis, nisi resipueris! Corruptio optimi pessima!

Considera 3° huic munditiae studio praesertim inservire *accuratam adimpletionem omnium obligationum* status sui. Ne fias se-

gnis unquam! Deus multum a te non requirit ratione ministerii tui. Si haec pauca fideliter adimpleveris, servabis te immunem ab illa immunditia et gratia Dei opitulante etiam qua sacerdos munera graviora adimplere poteris. Examina te circa segnitiem in servitio Dei!

III.

Considera 1° episcopum in praedicta oratione ordinandis inculcare: « Discite per officium vestrum vitiis imperare » (*Pont. Rom.*, l. c.) i. e. ne pravae inclinationes vos ad vitia seducant. Invigilare igitur admonet his pravis inclinationibus, quibus quilibet homo ab Adam oriundus ratione primi peccati subest, ne eis succumbat ex indeliberatione, praecipitatione, praeoccupatione. Etiam in te huiusmodi pravae insurgent inclinationes, nisi eis invigilaveris. Quapropter disce « imperare vitiis ».

Considera 2° te ad hoc teneri *per officium tuum*, obligari ex officio tuo, ut aliis dux esse possis. Quomodo enim velles aliis vias demonstrare et media praebere vitiis seu pravis inclinationibus imperare, nisi tu ipse haec propria experientia exercueris? Nonne secus bene comparandus esses caeco, qui ducatum praestat caeco (Matth. 15, 14), ut Dominus Salvator dicit? Vides, quam necessarium sit discere vitiis seu inclinationibus pravis imperare easque repellere et domare.

Considera 3° ut hoc explere possis, tibi necessariam esse *accuratam cognitionem tui ipsius* et omnium, quae in anima tua fiunt. Hanc accuratam cognitionem tui ipsius in dies magis perficias, discutiendo strenue quotidie conscientiam tuam; tunc optime poteris imperare pravis inclinationibus tuis erisque mox magister in propria domo. Ne obliviscaris haec omnia tibi valde necessaria esse etiam postea qua sacerdoti. — Quaenam igitur tibi propones?

14. — De officio Acolythi - I.

Episcopus ordinandos ad officium acolythorum sic alloquitur: « Acolythum enim oportet ceroferarium ferre, luminaria ecclesiae accendere, vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione acolythorum). Nobilissimum horum est ultimum, sub quo non solum intelligitur afferre vinum et aquam ad sacrificium, sed generaliter complectitur omnia servitia in sacrificio missae necessaria. Acolythus igitur iam valde prope admittitur ad altare tempore sacrificii, imo non solum admittitur, sed etiam obsequia huic sacrificio immediata ei licet praestare. Quapropter iure merito acolythatus summus habetur inter omnes ordines minores. Ideo et episcopus adhortatur ordinandos: « Studete igitur susceptum officium digne implere » (*Ib.*, l. c.).

I.

Considera 1° illud *ad quid implendum* per officium acolythatus voceris et admittaris, esse servitia in sacrificio missae minora seu inferiora praestanda reservatis nobilioribus officiis ministris maioribus. Inferiora dico servitia, sed tamen valde *excellentia*, cum respiciant sacrificium summum, quo altius cogitari non potest. Vel forsan non est aliquid nobile officium, *cooperari* huic sacrificio, praedicta inferiora servitia praestando?

Considera 2° haec servitia a te deinceps praestari non amplius ex quadam tolerantia Ecclesiae, sicut hucusque ministrasti in sacrificio missae ceterisque sacris functionibus, sed *potestate quadam* tibi tradita et *ex officio*, quapropter et plus mereberis, si digne officium tuum impleveris, sed et plus *punieris*, si negligens in explendo officio tuo fueris. Haec semper pro futuro ante oculos habeas, ut fidelis minister Christi inveniaris.

Considera 3° te ex officio tuo teneri ad *specialem diligentiam circa altare Domini*, praesertim ubi servatur Sanctissimum Sacramentum; ita, ut nihil a te fiat, quod sit contra reverentiam huic sacramento debitam, nec ullum quid a te permittatur, quod Domino Deo tuo in altari vel circa altare displicere possit. Cave, ne in hac parte umquam negligens sis, praesertim cum quondam habeas

curam ecclesiae qua sacrista vel sacerdos. Quomodo hucusque ad altare Dei famulaveris? Quid deinceps facies vel propones tibi facere?

II.

Considera 1° quomodo officium acolythatus explere possis, imprimis scilicet *attente* i. e. cum maxima attentione ad singula servitia praestanda ad altare, devitando omnes distractiones, negligentias, occupationes inutiles ad rem non pertinentes, oculos et cor dirigendo ad altare et in ea, quae in altari fiunt. Saltem hanc attentionem accuratam semper exhibeas, quam insumis ad quodlibet aliud grave officium inter homines.

Considera 2° te debere officium acolythatus explere cum *reverentia et devotione;* Deo enim ministras obsequiaque praestas. Quapropter devites omnes irreverentias quae in circumspiciendo, ridendo, inutilia loquendo et aliis huiusmodi saepius a ministris Ecclesiae committuntur, e contra saltem eam devotionem exhibeas, qua soles sanctissimam Eucharistiam sumere. Memento semper, cum ad altare famulatum praestes, te eadem officia in terra explere, quae angeli in caelo: idem enim Dominus, quamvis modus praesentiae sit alius. Huic devotioni et reverentiae etiam ideo incumbas, ne laicis sis offensioni, qui semper recte iudicant de fide clericorum secundum exteriora, quae in eis apparent. Dicunt enim

sacerdotem ipsum non credere, si vident eum cum negligentia ad altare officium suum explere.

Considera 3° ad hoc, quod digne officium tuum impleas, requiri a te etiam quandam *humilitatem*, quatenus te semper indignum reputes ad servitia altaris praestanda. Tunc enim semper cum attentione, fervore et reverentia famulabis, si te prorsus indignum habueris huius ministerii. Et indignus semper eris, quamvis summam diligentiam adhibueris. Quis enim posset Deo digne famulare? Examina conscientiam tuam, quomodo hucusque ad altare famulatum praestiteris et quaenam tibi pro futuro proponere velis, ut *dignus* sis minister altaris!

III.

Considera 1° *utilitates* maximas esse, quae tibi ex digno et fideli famulatu in officio acolythatus proveniunt, inter quas primo loco ponitur *augmentum gratiarum*. Indigebis gratiis praesertim in sacerdotio, quorum munera et onera subeunda propter responsabilitatem valde te prement. Has gratias necessarias imo abundantes tibi mereri poteris, si fideliter in ordinibus minoribus Deo servieris. Ne negligas occasiones merendi gratias necessarias nec parvipendas!

Considera 2° aliam utilitatem esse huius fidelis famulatus *incrementum meritorum*. Si Salvator potum aquae frigidae praemio ae-

ternae felicitatis retribuere promiserit porrectam ex amore Dei etiam minimo fratrum suorum (Matth. 10, 42), quale meritum tibi dabit aliquando, si etiam unico missae sacrificio tantum digne famulatus sis! Vides, quam ingentia merita tibi accumulare poteris!

Considera 3° hoc fideli famulatu in officio acolythatus te etiam *poenas luere* (seu satisfacere) *posse* pro peccatis tum propriis tum alienis, intellige animarum purgatorii. In quolibet enim sacrificio missae concelebras cum sacerdote plus quam ceteri fideles. Atqui secundum theologiam dogmaticam et fidem nostram omnes assistentes sacrificio missae maxime participant de fructibus sacrificii Christi in cruce oblati tum pro se tum pro animabus purgatorii. Quid igitur tibi nunc propones, ut ex officio acolythatus semper haurias augmentum gratiarum, meritorum et satisfactionum?

15. — De officio Acolythi - II.

Acolythi non solum vocantur ad lucem in missa praeferendam, sed etiam ad hoc, quod fidelibus bonis operibus praeluceant. Quapropter episcopus eos alloquitur: « Non enim Deo placere poteritis, si lucem Deo manibus praeferentes, operibus tenebrarum inserviatis et per hoc aliis exempla perfidiae praebeatis... Luceat lux vestra coram homi-

nibus... Estote igitur solliciti, in omni iustitia, bonitate et veritate, ut vos et alios et Dei Ecclesiam illuminetis. Tunc enim in Dei sacrificio digne vinum suggeretis et aquam, si vos ipsi Deo sacrificium per castam vitam et bona opera oblati fueritis » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione acolythorum). Ex hoc igitur patet, quam necessario acolythi aliis bonis operibus et virtutibus praelucere debeant.

I.

Considera 1° acolythum ad praelucendum spiritualiter aliis teneri *vi sui status*, uti patet ex verbis ordinationi praecedentibus. Tenetur enim esse « sacrificium Deo in omni iustitia, bonitate et veritate » (*Ib.*, l. c.) i. e. virtutibus, quae maxime alios respiciunt; *iustitia* enim, qua reddit unicuique debitum, *bonitate*, qua omnes in caritate Christi complectitur, *veritate*, qua eadem ore profert quae mente concepit.

Considera 2° acolythum esse quasi pontem ad ordines maiores, quia iam multum requirit ab ordinato, praelucere scilicet aliis bonis exemplis praesertim *per castam vitam et bona opera* (*Ib.*, l. c.). Fere iam ad eadem obligatur sicut subdiaconus, imo sacerdos. Ex quo perspicitur, quid Ecclesia iam a minorista, imo ab omni clerico sperat, exspectat et postulat: *vitam exemplarem* ex omni parte. Solum ille ad ordines aptus ido-

neusque est, qui ad hanc vitam exemplarem vult se obligare.

Considera 3° hanc obligationem ad vitam exemplarem ad *totam vitam te adstringere*, ex quo subdiaconatu deinceps es initiatus. Expedit igitur, ut huic vitae exemplari iam nunc, qua minorista, incumbas, in eaque te exerceas, ut experiaris, numquid sufficere possis ei in posterum.

II.

Considera 1° hanc vitam exemplarem seu praelucere aliis consistere imprimis in *exercitio virtutum*, praesertim status clericalis, virtutum dico theologicarum sicut et moralium, cui adiungitur pro te, carissime frater, etiam exacta observantia votorum et regulae, si religiosus sis. Debet enim clericus, religiosus, esse homo *virtuosus* undequaque, alter Christus, vita christiana exemplis illustrata. Vae tibi, si tibi defuerint virtutes, quae in laicis laudantur!

Considera 2° hanc vitam exemplarem consistere in *exercitio bonorum operum*, inter quae christianis commendantur oratio, ieiunium seu mortificatio et eleemosyna. Te esse debere virum orationis, extra dubium est. Similiter te obligari ad ieiunium seu *mortificationem*, praesertim si vitam castam ducere velis. Ad *eleemosynam* quod attinet dare poteris spiritualem simul et materialem, ministe-

ria tua scilicet aliis exhibendo; minister enim es Ecclesiae seu populi fidelium, ratione huius ministerii ordinationem recepisti. Nemo enim est sacerdos pro se ipso seu in favorem proprium sed aliorum.

Considera 3° vitam exemplarem, ad quam obligaris, consistere in *fideli adimpletione obligationum* tuarum, in ecclesia Dei praesertim circa altare. Ne unquam sis mercenarius quaerens proprium lucrum, qui tantum laborat, quantum praemii pro labore exspectare potest, sed adimple officia tua ex amore Dei cui soli servire debes. — Examina nunc exacte conscientiam tuam, quomodo hucusque vitam exemplarem duxeris virtutes exercendo, bona opera faciendo, obligationes status tui in Ecclesia Dei adimplendo. Forsan quandoque negligens fuisti, scandalum aliis praebuisti, vitam minus laudabilem duxisti. Videas, quomodo te emendare debeas, quaenam tibi sis propositurus.

III.

Considera 1° *cur* ad talem vitam exemplarem obligeris, imprimis scilicet, quia aliis *magister* deinceps esse debes, magister dico vitae christianae. Fideles autem non tua verba observabunt, sed potius *vitam* tuam, facta et opera, utrum scilicet et ipsa facies, quae alios docere intendis necne, secus tibi dicent: « Medice, cura teipsum » (Luc. 4, 23), prius portes

ipse onera, quae aliis imponere velis. Magister, qui ab aliis petit, quae ipse non facit, hypocrita est et pharisaeus contemnendus. Imitare potius exemplum Christi, qui coepit facere (prius) et (deinceps) docere, ut dicit sanctus Lucas (*Act.* 1, 1).

Considera 2° te etiam esse *ducem* populi, qui, quia dux, aliis praeire debet suo bono exemplo. Qualis rex, talis grex, qualis pastor, tales oves. Experientia docet fideles tali spiritu agi, quali a pastore instruuntur. Grex devotus sub devoto pastore. Si in aliqua parochia vitia florent, sacramenta negliguntur, conciones et sacrificia missae omittuntur, culpandus est parochus, qui certe est dux non bonus gregis sui.

Considera 3° te etiam teneri ad vitam exemplarem, quia es *mediator* inter Deum et populum. Quomodo igitur poteris benedictionem caelestem a Deo impetrare efficaciter pro grege tibi commisso, si manus tuae non sunt purae, quia peccatis maculatae? Quomodo etiam veniam a Deo exorare poteris pro peccatoribus, si etiam tu insignis peccator fueris? Poteritne Deus sibi complacere in oblationibus, quae a te, prorsus indigno suo vicario, sibi nomine populi porriguntur? Vides, quam necessario obligaberis ad vitam exemplarem, utpote magister, dux et mediator populi! — Quid igitur tibi pro futuro propones?

16. — Meditatio finalis.

Tempus praeparationis ad ordines minores recipiendos destinatae, carissime frater, concomitante et opitulante gratia divina fructuose absolvisti. Forsan saltem aliqualiter es praeparatus et dispositus, quatenus clare cognovisti, quales et quantas gratias Deus tibi conferre velit per sic dictos ordines minores, quales potestates etiam recipies. Utique ordines minores dicuntur; non sunt minores in re, ideoque nec parvipendendi, sed solum minores nominantur per comparationem ad maiores, quos suo tempore, si eis dignus fueris, recipies. Quapropter recipias eos maxima cum gratiarum actione et cum proposito in eis fideliter Deo serviendi.

I.

Considera 1° *gratias maximas* deberi Deo de quacumque gratia ab Ipso recepta. Et certe vocatio ad statum clericalem est gratia quaedam nobilior; et adhuc maior adscriptio realis ad talem statum per tonsuram, quia ianua est ad ipsos ordines; et adhuc excelsior quilibet ordo etiam ex eis, qui minores dicuntur. Tribuunt enim homini facultatem et potestatem Deo immediate in domo eius mi-

nistrare, quod omnibus aliis non ordinatis non licet.

Considera 2° *te admitti decursu temporis ad ordines altiores,* si gratus fueris pro beneficiis hucusque acceptis. O beatam spem, admitti te nunc inter amicissimos divini Salvatoris! Videtur forsan tibi haec esse minima gratia? Quid autem altius, quaeso, cogitari potest?

Considera 3° cum hac amicitia coniunctam esse *quotidianam participationem excellentium gratiarum,* quas Iesus aliis denegat. Quacum gratiarum actione igitur recipies hos ordines minores, qui te tam alte elevant, gratiisque supernaturalibus exornant? Attamen recordare, te non solum in die ordinationis ad tales gratias agendas teneri, sed etiam deinceps per totam vitam tuam et eo magis quo altiores ordines receperis!

II.

Considera 1° nullam gratiarum actionem esse meliorem quam *propositum firmum* Deo fideliter in ministerio sacro serviendi. Deo non placent affectus, suspiria, velleitates, sed solum et unice facta provenientia ex firmis propositis. Quaenam autem sunt, quae ex meditationibus praecedentibus tibi proposueris? Non multa requirit Deus, sufficiunt pauca, sed his insistere debes strenue et fideliter.

Considera 2° huiusmodi firma proposita

optime *scriptim consignari*, ut firmiora evadant et profundius cordi inculcentur; tunc certe non statim oblivioni tradentur. Eum in finem expedit ea *in die recollectionis mensilis attente perlegere* cum quodam examine serioso, ut sic saltem renoventur.

Considera 3o ad huiusmodi firma proposita exsequenda etiam expedire *strictam disquisitionem occasione confessionis hebdomadalis*, et si segnis factus fueris, accusabis te in confessionali de culpis in ministerio Dei commissis. Ad reddendam rationem enim obligaberis! Fac hoc et vives!

DE ORDINE SUBDIACONATUS

17. — Meditatio introductoria.

Hucusque, carissime frater, Deo servisti in statu religioso et clericali qua minorista. Secundum voluntatem Dei et superiorum tuorum nunc ad altiora vocaris, scilicet ad primum ordinem sacrum, seu ad immediatum ministerium Dei ad altare. Magna sunt procul dubio, ad quae vocaris, non minus etiam difficilia. Cui Deus magna tribuit, ab eo etiam magna et difficilia expostulat. Vides, quam necessaria sit diligens et accurata praeparatio ad hunc primum ordinem sacrum, ut eum cum fructu

recipere possis. Quid igitur his diebus exercitiis praeparationi destinatis ad subdiaconatus ordinem ages?

I.

Considera 1° subdiaconatum esse *primum gradum* ad sacerdotium cum quadam *irrevocabilitate* coniunctum. Duplici vinculo Deo ligaberis ordinatione subdiaconatus, scilicet coelibatu et breviario, quo quidem iam professus votorum solemnium ligaris, sed adhuc arctius et intimius. Strictissime igitur ad utrumque teneberis; vae tibi, si negligens fieri inciperes!

Considera 2° te *adhuc esse liberum* saltem ex parte ordinationis sacrae; Deum neminem cogere nec ei placere, quidquid homo Ei coactim, id est non ex omni parte, libere offerat. Videas, igitur, ut etiam tu Deo te offeras cum plena deliberatione et perfecta voluntate, ut sacrificium tuum sit ei acceptum. Quapropter conare his diebus te sufficienter ad hoc sacrificium praeparare.

Considera 3° hanc praeparationem nostro tempore esse praesertim ex eo *valde necessariam*, quia de facili annis elapsis post ordinationem interni et externi inimici te impugnabunt, ac si tempore ordinationis ex praecipitatione egeris. Quapropter nunc satis delibera, ne viam nunc aggrediaris, de qua postea te poeniteat.

II.

Considera 1° si *oratio* nobis semper necessaria est, quotiescunque immineat res gravissimi momenti, tibi in his diebus praeparatoriis ad subdiaconatus ordinem orationem dupliciter esse necessariam, non solum ne quid suscipias, de quo te postea poeniteat, sed etiam ut cum maximis gratiis in ordine subdiaconatus constituaris et permaneas.

Considera 2° ad hunc finem te *cumulare* debere *oratiunculas* precesque ea intentione, ut Deus te idoneum faciat ministrum suum, qui scilicet ferventer et fideliter deinde expleat omnia munera et officia suscepta. Non multa (mechanica praesertim evites) orabis, sed multum et quidem intimo ex corde et quia qua subdiaconus altari appropinquabis, frequenter perge ad Iesum eucharisticum, ut ipse te benedicat gratiaque sua repleat.

Considera 3° haec exercitia spiritualia peragenda esse solum *in ordine ad subdiaconatum suscipiendum*. Quapropter omnia exercitia spiritualia uti meditationes, s. comuniones, examina conscientiae, orationes ad hunc finem dirigas. — Quaenam nunc pro his diebus peragenda tibi propones? Perpauca tantum sufficient, sed illa fideliter adimpleas!

18. — De ordine Subdiaconatus.

Tonsura et ordinibus minoribus acceptis nunc, carissime frater, *ad maiora* a Deo vocaris, ad sancta sanctorum, ad ministerium immediatum altaris, ad cooperandum in sacrificio summo Novi Testamenti per receptionem ordinis sacri et maioris, qui dicitur subdiaconatus. Inter ordines sacros et maiores infimus quidem est, attamen in se spectatus magnam dignitatem ordinato confert, si singula accurate perpendas illustratus lumine fidei.

I.

Considera 1° subdiaconatum imprimis esse *ordinem,* dico ordinem excellentiori sensu quam quattuor ordines minores, ordinem scilicet seu statum firmum, immutabilem; qui eum suscipit ad tempus vitae remanet obligatus ad implenda officia, quae huic ordini adnexa sunt.

Considera 2° vocabulum *ordo* significare sub hoc respectu etiam *vitae rationem* ordinatam, quatenus omnia in vita clerici in maioribus constituti ordinata esse debent iuxta praecepta Dei et mandata Ecclesiae. Quapropter ne obliviscaris huius vitae ordinatae usque ad ultimum halitum!

Considera 3° ordinem hunc etiam quoad exterius aliis innotescere debere, quatenus subdiaconus praesertim religiosus *omnia sua exteriora ordinata habeat* quoad habitum, cultum, gestus, incessum, sessionem etc., exhibendo quamdam maturitatem sacram, quae omnes aedificat, neminem offendit. Hoc modo revera est in ordine constitutus et ordo custodit ipsum. Perpendas et examines te, quomodo hunc ordinem in vita tua instituere velis, ut vere dicaris homo in ordine sacro constitutus.

II.

Considera 1° subdiaconatum esse etiam ordinem *maiorem* et quidem primum ex his tribus, qui maiores audiunt et maiorem ideo dici, quia directum habet respectum ad sacrificium missae, quod de minoribus dici nequit. Et revera directum habet respectum, quia subdiaconus cooperatur in conficiendo corpore et sanguine Christi et renovando sacrificio crucis non solum praeparando ea, quae necessaria sunt ad sacrificium missae, sed etiam adiuvando, ut ea, quae praescripta sunt, rite et solemniter fiant. Unde et maxime participat de fructibus sacrificii incruenti post sacerdotem et diaconum, si munus suum rite et devote expleat.

Considera 2° subdiaconatum etiam ideo dici maiorem ordinem, quia subdiaconum *ponit super alios* inferiores et laicos et clericos. Iam

positus est super candelabrum, ut praeluceat aliis verbo et exemplo. Ad ipsum adspiciunt sicut ad imaginem et exemplar, cui assimilari intendunt inferiores. Maior factus es, procul dubio et gravior esse debes, ordinatione sacra accepta, conversatione tua!

Considera 3° subdiaconatum et ideo annumerari inter ordines maiores, quia iam *obligationes maiores* imponat ordinato, scilicet legem coelibatus et breviarii, obligationes maiores dico, tum quia graves in se sunt et sub gravi peccato iniunctae, tum quia duraturae usque ad finem vitae. Ex hac animadversione colliges, hunc ordinem tantum post longam et maturam deliberationem praemissis etiam multis orationibus esse recipiendum et quidem nonnisi ab eo, qui ad hoc a Deo vocatur. Plurimum igitur aestimes hunc ordinem, simulque proposita facere ne omittas, ut hoc ordine dignus deinde vivas, praesertim cum sit praeparatio ad summum nempe sacerdotium!

III.

Considera 1° subdiaconatum esse etiam ordinem *sacrum*, quia sacrum, imo maxime sacrum munus confert. Quid enim sacrius cogitari possit nisi cooperari summo sacrificio Salvatoris Iesu Christi? Utique subdiaconus tantum minister est in hoc sacrificio et quidem minister inferior, attamen minister est et cooperari ei licet, angelica ministeria prae-

tando! Qualis et quanta igitur dignitas sub-
Iaconi!

Considera 2° subdiaconatum etiam dici sa-
rum ordinem, quia ordinatus *consecratus* est
n ordinatione; consecratus cui? Nulli alii,
procul dubio, nisi Deo. Et sic, carissime frater,
x duplici capite eris Deo consecratus, ex
rofessione solemni, si religiosus sis, et ex
rdine subdiaconatus. Utinam numquam huius
olemnis consecrationis in vita tua oblivisce-
reris!

Considera 3° subdiaconatum etiam ex hoc
apite dici debere ordinem sacrum, quia *multa*
media sanctificationis confert ordinato, ut di-
gnus Dei minister esse possit, gratias puta
ctuales praesertim ex sacrificio missae.
Fructus huius meditationis sit: Summa aesti-
matio cordi profunde inserenda de subdia-
conatu, quia ordo est et maior et sacer.
— Quaenam tibi propones?

19. — «Onus ultro appetitis».

Ecclesiae nostrae ab adversariis obiicitur,
uod sacerdotibus iugum importabile imponat,
praesertim quoad legem coelibatus ceterasque
bligationes status sacerdotalis. Sed immerito
fit haec obiectio, ut patet ex adhortatione
praevia ante ordinationem subdiaconatus, qua
episcopus gravissimis verbis ordinandos sic
alloquitur: « Filii dilectissimi, ad sacrum sub-

diaconatus ordinem promovendi, *iterum atque iterum considerare debetis attente* (nullum verbum est superfluum), *quod onus hodie ultro appetitis* » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione subdiaconi). De hoc onere considerare nunc oportet.

I.

Considera 1° subdiaconatum iure merito dici *onus*, imo esse onus grave, si respicias, carissime frater, omnia officia, ad quae subdiaconus ad tempus vitae obligatur, praesertim quoad coelibatum et recitationem breviarii sub mortali peccato. Tenentur etiam vitam ducere mundo crucifixam, mortificationibus plenam, omnibus bono exemplo praeire, nemini scandalo esse etc. Revera talis ordo onus dicitur, impositum humeris hominis infirmi et debilis et fragilis.

Considera 2° subdiaconatum tamen esse, si consideretur oculis fidei, *onus dulce et leve*, quia est onus Domini Iesu, *participatio* eius magnifici oneris, cum omnes ministri eius sint etiam cooperatores eius. Dulcedo et levitas huius oneris patet ex multitudine gratiarum, quibus Summus Sacerdos ministros suos exornat et locupletat.

Considera 3° subdiaconatum *nunquam fieri posse onus importabile* ei, qui illud portat in honorem Dei, ex amore erga Iesum, in favorem animarum. Cum enim benignissimus Iesus onus hoc sublevet gratiae suae infusione,

ibenter portatur ab eo, qui Iesum sincere mat eique deditus est. Caveas ne unquam n vita tua fias mercenarius, et onus Iesu emper erit tibi dulce et leve.

II.

Considera 1° onus praedictum subdiaconatus ab ordinandis *ultro* appeti. Nullus enim cogitur vel dolose allicitur ad sacram ordinationem suscipiendam. Est quidem summa dignitas, summus honor Deo famulari, stare in sacro ministerio, attamen nemo onera eius suscipere tenetur, imo Ecclesia sereno vultu haec onera describit per episcopum. *Ultra exigentiam* igitur quilibet onera subdiaconatus in se recipit.

Considera 2° appetere talia onera subdiaconatus ultra exigentiam *signum esse animae nobilis et heroicae*. Quam quilibet habere debet, qui ministerio divino sese dedicat. Absque heroismo et magnanimitate nullus potest esse minister Christi acceptus. Videas igitur, carissime frater, ut tali magnanimitate et heroismo sis instructus, antequam onus subdiaconatus suscipias.

Considera 3° appetere onera subdiaconatus tam gravia *non esse praesumptionis* et arrogantiae, dato, quod a Deo ad illud munus vocatus sis. Quamvis enim onera suscipienda gravia sint in se spectata, quia tamen suscipiuntur ab ordinando freto et innixo auxilio divino, ideo vitium praesumptionis ab eo non

committitur, qui nil aliud attendit, nisi ut Deo fideliter serviat, quamvis ipse homo in se fragilis sit et infirmus et peccaminosus. Media via aurea est. Cave igitur a laxismo, ne parvipendeas onus subdiaconatus, sed ex alia parte a rigorismo, ne succumbas postea sub onere suscepto!

III.

Considera 1° onus subdiaconatus ab ordinando dici *appeti*. Tendunt igitur ordinandi ad hoc, ut illud onus consequantur vel desiderant illud. Et ex hoc patet, Ecclesiam dignitatem hanc nemini sponte offerre vel neminem ad illam cogere, sed e contra postulare, ut ab ordinando appetatur. Non igitur Ecclesia desideravit ordinandos, sed ordinandi appetiverunt ordinem.

Considera 2° hoc appetere fieri debere, ut recte fiat, *Deo ministrandi causa*, seclusis aliis motivis terrestribus et profanis, secus ordo fit cuilibet in propriam perniciem. Utinam hoc attendissent, quicumque onus subdiaconatus quondam appetiverunt! Vides quam necessaria sit recta intentio ad onus hoc grave suscipiendum!

Considera 3° necessarium esse, ut subdiaconatus cum suis oneribus *bonis et rectis mediis appetatur*, scilicet invocata gratia divina, post longam deliberationem, strictum examen de vocatione ex parte Dei, de qualitatibus necessariis ad munus hoc rite exse-

quendum etc., ne Salvator clerico in die iudicii dicat: « Intrasti in ovile, sed non per ostium, unde et fur et latro fuisti » (Ioan. 10, *v.* 1). — Examina igitur te, qua ratione onus grave subdiaconatus ultro appetere velis, ut intentione Ecclesiae satisfacias.

20. — «Ut hunc electum bene†dicere, sancti†ficare et conse†crare digneris».

Ut dignitatem et sublimitatem ordinis subdiaconatus bene intelligas, hac hora instituas, carissime frater, meditationem de illa solemni oratione qua sancta mater Ecclesia pro te instantissime Deum exorat Litaniis Omnium Sanctorum, ut Deus Optimus Maximus te *benedicere*, *sanctificare* et *consecrare* dignetur (*Pontif. Rom.*: In ordinatione subdiaconi); tum quia ad maxima et sanctissima munia electus es, tum quia gravissima onera tibi implere incumbit. Hanc orationem Ecclesia pro te in ordinatione ad diaconatum et presbyteratum repetit.

I.

Considera 1° Ecclesiam pro te Deum exorare, ut Ipse te *benedicat*, benedicat dico benedictione caelesti, supernaturali omnium illorum beneficiorum et gratiarum, quibus indiges ad munera tua rite et perfecte implenda. Talia beneficia et gratias solus Deus subdia-

cono conferre potest; ideo a Deo expetit Ecclesia benedictionem.

Considera 2° revera *Ecclesiam* huiusmodi benedictionem a Deo expetere, quapropter episcopus cum clero congregato et coadunatus spiritualiter cum omnibus membris Ecclesiae militantis et triumphantis preces ad Deum porrigit supplices genuflexus, invocando patrocinia Sanctorum, qui potentiores sunt a Deo aliquid consequi. Ex parte igitur Ecclesiae omnia fiunt, ut plenissima benedictio caelestis descendat super ordinandos.

Considera 3° etiam *ordinandos* in hac solemni oratione pro seipsis orare humi prostratos, hoc humili situ confitentes, se prorsus indignos esse ordine subdiaconatus suscipiendo. Etiam, carissime frater, et tu hanc orationem proferas animo vere contrito et devoto, ut de facto descendat super te et maneat in perpetuum copiosa benedictio caelestis. Ne omittas aliquid propositum concipiendi, ut hanc orationem maxima devotione in actuali ordinatione ad subdiaconatum proferas!

II.

Considera 1° Ecclesiam Deum etiam exorare, ut te *sanctificet* i. e. sanctum, immaculatum, omni peccato prorsus expertem reddat et exornet animam tuam gratiis divinis, ut sis templum sanctum Dei, non mortuum, sed vivum. Sanctum enim esse oportet subdiaconum non solum die ordinationis suae, sed

etiam deinceps, cum Deo ministrare debet. Et quia haec sanctitas homini non obvenit ex natura sua, sed donum est Dei, ideo Ecclesia fervidissimis precibus Deum efflagitat, ut ordinandos sanctificet ipse fons sanctitatis.

Considera 2° huiusmodi sanctificationem licet sit donum Dei et a solo Deo fieri possit, tamen non fieri in anima subdiaconi *absque propria cooperatione,* quae consistit in satis ampla praeparatione ad hunc ordinem suscipiendum, praesertim in contritione frequentanda de peccatis anteactae vitae, ut sic purgatus corde et corpore mundus accedere possit ad ordinem suscipiendum gratiasque divinas recipiendas.

Considera 3° necessarium esse, ut haec sanctificatio in anima perseveret, eam conservandi et *custodiendi illibatam ab omni macula* peccatorum. Ad hoc faciendum tenetur subdiaconus eadem gravi obligatione sicut tenetur ad alia onera ordinis sui implenda et si hoc principale munus negligat, mox erit negligens in ceteris sacris muneribus ordinis sui subeundis. Ne obliviscaris igitur, carissime frater, custodire conscientiam tuam illibatam ab omni peccato. Qualia proposita facies, ut hoc exsequaris?

III.

Considera 1° Ecclesiam a Deo etiam expetere, ut electum famulum suum *consecrare* dignetur, i. e. ut faciat ipsum sacrum. Sub-

diaconus igitur fit ordine suo Deo sacer, plus quam calix consecratione et unctione sua. Evectus ad caelestia fere factus est subdiaconus divinus, speciali modo particeps divinae naturae.

Considera 2° hanc consecrationem obligare subdiaconum *ad vitam sanctam et caelestem*, ne fiat abominabilis coram Deo. Sicut enim res consecratae ab omni usu profano alienae esse debent, quia sunt Deo consecratae, ita etiam subdiaconus a rebus mundanis debet esse abstractus et segregatus, ut Deo unice vita sancta adhaereat eique uniatur.

Considera 3° hanc obligationem ad vitam sanctam non esse obligationem nimis *exaggeratam et rigorosam* acsi impossibilem implendi homini fragili vel quia etiam multi sacerdotes tali omnimodae vitae sanctitati non incumbunt. Quamvis hoc ultimum, proh dolor! sit concedendum, tamen ipse iudicium feras, utrum homo Deo sacro ordine consecratus possit nimis Deo adhaerere, nimis sancte vivere, nimis peccata vitare, an e contra semper restat aliquid plus purgandi, vitandi, bene faciendi. Utinam numquam obliviscereris huius tuae consecrationis ex ordine sacro susceptae! — Quid tibi nunc pro vita futura propones?

21. — «Perpetuo Deo famulari».

In exhortatione, quam episcopus ad ordinandos habet, sententia quaedam profertur maxime gravis huius tenoris: « Quod si hunc ordinem suscepistis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari oportet et castitatem, illo adiuvante, servare » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione subdiaconi). A nemine ad ordines homo cogitur; voluntarie, precibus imo episcopo praemissis et porrectis, ordines recipit, unde et tenetur officia et obligationes ordinum suorum implere, seu, quod idem est, Deo perpetuo famulari.

I.

Considera 1° clericum in maioribus constitutum, i. e. ratione subdiaconatus, teneri *Deo famulari,* seu eadem Deo praestare, ad quae servus tenetur respectu domini sui. Famulus igitur Dei est subdiaconus per excellentiam seu plus quam ceteri. Sed hic famulatus vere significat regnare, quia praestantissima obsequia in se continet; angeli fere officia implenda ei imponuntur. Habesne causam, carissime frater, toto corde gaudere de hoc famulatu? Utique habes, nec obliviscaris huius grandis famulatus!

Considera 2° hunc famulatum quidem annexa habere quaedam *molesta*, officia, obligationes, mortificationes etc., quae omnia naturae humanae iucunda non sunt, sed etiam esse *fontem gaudiorum* spiritualium et supernaturalium, quae solus Salvator praestare potest, et quae plus valent omnibus gaudiis mundanis.

Considera 3° quod etiam est alicuius specialis momenti, hunc famulatum occasiones exhibere summorum *meritorum*. Qui enim famulatur regi, praemium accipit regale, qui autem Deo, dignus est praemii divini, quo maius et nobilius cogitari non potest. Haec merita prae oculis habeas, quotiescumque, carissime frater, in futuro suscipere debeas in officio sacro tuo quaedam gravia, molesta, taedia, ut hilariter, voluntarie et fructuose famuleris Deo tuo in sacro ministerio.

II.

Considera 1° famulatum in ordine subdiaconatus respicere *Deum:* « Deo oportet famulari » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione subdiaconi). Heu, quoties clerici et sacerdotes obliviscuntur se Deo famulari, se esse servos Dei! Nemini alii famulari deberent nisi soli Deo. Sed cui serviunt? Vitiis et concupiscentiis suis pessimis! Ideo et indigni sunt suo praestantissimo famulatu et merentur deponi et eiici e sanctuario, quod vita sua scandalose commaculant.

Considera 2° subdiaconum Deo famulari,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

quapropter attendat, ne e sacro famulatu suo faciat negotium, nec ipse fiat et agat sic ut operarius vel mercenarius, « pro pecunia » vel quapiam re terrestri Deo famulando. Haec res et *religiosos attingit,* qui tanto peiores essent, si famularentur Deo in sacro ministerio solùm emolumenti profani causa.

Considera 3° subdiaconum Deo famulari, quapropter attendat, ut semper cum *maxima reverentia* altari assistat, officia sua expleat, conversatione matura et gravi incedat, ut sic sit spectaculum mundo et angelis, omnibus in aedificationem, nemini in scandalum. Et quia oportet iam a prima die recto tramite incedere, ideo nunc his exercitiorum diebus ea tibi, carissime frater, firmiter proponas, quae deinde exsequi velis, ut dignus sis famulus Dei in sacro ministerio. Quae tibi qua subdiaconus assuefeceris, haec certe qua sacerdos deinceps facies.

III.

Considera 1° subdiaconatum esse famulatum Dei in *perpetuum,* i. e. usque ad finem vitae, etiamsi sacerdotium non sequeretur quacunque ex causa. Unde episcopus ad ordinandos dicit: « Iterum atque iterum considerare debetis attente, quod onus hodie ultro appetitis » (*Pont. Rom.,* l. c.) i. e. ad quod suscipiendum nemo tenetur. Et in fine dicit: « Proinde, dum tempus est, cogitate (=deliberate) et si in sancto proposito perseverare placeat, in no-

mine Domini huc accedite » (*Pontif. Rom.*, l. c.). Duratio perpetua igitur huius famulatus ratio est, cur quilibet satis deliberare debeat, utrum hunc ordinem suscipere velit an non.

Considera 2° hunc famulatum perpetuum praecise ex ea ratione fieri in dies *faciliorem*, quia per decursum temporis quasi assuefit. « Exercitium facit magistrum » dicit proverbium, quod etiam in sacro ministerio verum est, praesertim, si illud ex supernaturali vocatione et cum plena resignatione in voluntatem Dei hilariter et prompte suscipitur. Nil igitur timeas de hoc famulatu perpetuo, quamvis vires humanae in se spectatae sint infirmae et fragiles. E contra

Considera 3° huic famulatui perpetuo *ex parte Dei gratias* non solum sufficientes, sed etiam superabundantes conferri, ut quilibet, qui bonam voluntatem habet, Deo digne in perpetuum famulari possit. Proinde nihil timeas, sed confidas gratiae divinae, quae tibi hoc munus grave iucundum et fructuosum faciet. — Quomodo nunc Deo famulari in perpetuum propones?

22. — De ministerio ad altare.

Cum subdiaconatu accipis, carissime frater, potestatem ministrandi in sacrificio missae solemnis et directe ad illud cooperandi. Huiusmodi ministerium est nobilissimum munus tuum, procul dubio simul et valde grave et

rribile. Si illud munus digne, rite et ad neplacitum Dei subire velis, oportet, ut illo m attentione, devotione et zelo fungaris, ecus fies mercenarius et desines esse mister Dei fidelis.

I.

Considera 1° subdiaconum imprimis assitere debere missae solemni cum omnimoda t accurata *attentione* ad omnia et singula, uae ipsi in ministerio sacro facienda inumbunt. Rex caelestis certe ius habet poulandi ut leges ceremoniales, quibus ipsi te servitur, observentur adamussim sicut et qualibet aula regia praescripta legis ceemonialis observari oportet. Quapropter ne arvipendas huiusmodi praescripta, quamvis inima videantur; ad cultum enim divinum ertinent.

Considera 2° ad hanc attentionem actualem abendam requiri *praeparationem praeviam* m quoad ritum omnium eorum, quae a subiacono in missa solemni fieri debent, tum uoad hoc, ut animo collecto et satis disposito l munus implendum accedat. Si generaliter alet de oratione, ut fiat praeparatione ad sam praemissa, a fortiori valet de ministerio cro in sacrificio missae exercendo: « Noli eri quasi homo, qui (ministerio suo distracte negligenter facto) tentat Deum » (*Eccli.* 18, 23). Quapropter ne omittas hanc satis ecessariam praeparationem praeviam.

Considera 3° attentionem hanc etiam directam esse oportere ad *paramenta et vasa*, quibus in ministerio sacro Ecclesia utitur, ut sint pura et munda. De hac munditia paramentorum et vasorum vigilare officium est subdiaconi et postea sacerdotis: attendas igitur, ut Deo serviatur non solum mundis corporibus et cordibus, sed etiam supellectili sacra et munda.

II.

Considera 1° subdiaconi esse ad altare ministrare cum maxima *devotione;* utinam haec devotio esset angelica; nec tunc esset nimis magna. Ministrat enim subdiaconus summo Deo, in summa actione scilicet sacrificali, qua nobis et tales applicantur fructus et merita passionis Christi, qua maius cogitari non potest.

Considera 2° ad hanc devotionem actualem excitandam maxime favere non solum praeparationem proximam de qua in primo puncto, sed etiam remotam, quae consistit in *propria instructione* eorum, quae in sacro missae ministerio fiunt, ut scilicet legas meditando, quae in libris theologicis et asceticis de hoc summo sacrificio scripta sunt. Hac enim pia lectione devotio excitatur, et si adsit, conservatur, imo augetur. Nec debet omitti, secus ipsa devotio paulatim extinguitur.

Considera 3° ad hanc devotionem fovendam maxime conducere, ut missae sacrificio abso-

luto et munere tuo perfuncto, te *examines de modo*, quo ministrasti, ut doleas de vitiis commissis caveasque de futuris committendis per proposita respectiva. Sic enim contritio ad hoc conducit, ut reverentia erga Deum in altari conservetur et omnis negligentia evitetur, de qua apud Ieremiam legitur maledictum Dei: « Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter i. e. negligenter » (Ier. 48, 10).

III.

Considera 1° nec *zelum* deesse debere subdiacono, zelum dico tum quoad actuale ministerium in missa solemni, tum quoad domum et altare Dei in generali: « Domine, dilexi decorem domus tuae » (Ps. 25, 10) debet esse norma eius, vel illud de Salvatore dictum: « Zelus domus tuae comedit me » (Ioan. 2, *v.* 17). Si hoc zelo caret, clericus est « velut aes sonans et cymbalum tinniens » (I *Cor.* c. 13, 1).

Considera 2° zelum hunc *comparari frequenti conversatione* cum Deo. Quia Deus est sors clerici praesertim in maioribus constituti, ideo eius esse oportet, ut frequenter fervida oratione loquatur cum Deo suo. Sic etiam omnia sua officia rite et digne subibit. Cor hominis, etiam clerici focus est, in quo semper ignis ardet; aut ignis mundanus, si rebus terrestribus superatur, aut divinus et hic specialiter debet frequenti conversatione cum Deo nutriri, secus exstinguitur.

Considera 3o zelum hunc esse *necessariam qualitatem clerici;* nam qualis rex, talis grex et populus, sicut sacerdos. Sed talis eris sacerdos, qualis fueris subdiaconus. Repleas igitur cor tuum zelo ferventi pro Deo, ministerioque sacro tuo, ut postea zelare possis, si tibi maiora officia imponuntur. — Examina cor tuum, qualem zelum hucusque habueris circa domum et cultum Dei. Cogita quid facere velis, ut deinceps ministres Deo cum maxima attentione, ferventi devotione et zelo sacro. Fac proposita practica!

23. — De amictu.

Subdiaconus, utpote clericus maior, participat de vestimentis sacerdotalibus, scilicet *amictu, alba, cingulo* et *manipulo;* ipsemet utitur quadam veste speciali et sibi propria, quae *tunica* dicitur. His vestibus indutus esse debet, quotiescunque assistit solemnitatibus tum in missa tum extra missam. Singulae vestes non carent profundo sensu, plura significant, quibus vita sua quotidiana instructus esse debet subdiaconus. De his vestibus singillatim meditari oportet; percipies ex his sequentibus, carissime frater, quam necessarium sit, ut subdiaconus eis qualitatibus polleat, quas illae vestes significant. Nunc imprimis de amictu seu humerali.

I.

Considera 1° amictum esse vestem, quam *episcopus* ipse ordinando *imponit* sub certa quadam formula, dicendo: « Accipe amictum, per quem designatur castigatio vocis » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione subdiaconi), i. e. sciat subdiaconus amictu indutus vocem suam temperare eique dominari. Quadam igitur maturitate in usu vocis debet esse instructus, ne assimiletur garrulae, quae omnia ex ore profert, quae ei in mentem veniunt.

Considera 2° hanc temperantiam vocis praesertim spectare ad ea, in quibus de facili laeditur caritas erga proximum vel animi quies. Sciat igitur subdiaconus loqui *caritative* absque detractione et contumelia proximi et mansuete i. e. absque ira et rixa.

Considera 3° certe tibi *non absque causa* imponi amictum, praesertim, quia solus amictus tibi ab episcopo imponitur, cum de alba et cingulo nihil dicit. Gravis et notatu digna videtur igitur illa vestis esse et similiter etiam obligatio circa vocis temperantiam, quam amictus significat. Dum igitur in posterum amictum tibi impones etiam qua sacerdos, cogita ad quid semper teneris.

II.

Considera 1° amictum esse imponendum a subdiacono et etiam a sacerdote *sub quadam formula*, qua ei suggeritur, cur illum portet: « Impone, Domine, capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus » (Verba praescripta ab Ecclesia sacerdoti et subdiacono, dum sibi imponunt humerale). Amictus, qui a pluribus clericis regularibus uti Dominicanis, Franciscanis ante impositionem signo crucis insigniri debet et ab ipsis etiam portatur in capite, dum pergunt ad altare, ut galea salutis, significat ergo quoddam tutamen, quo scilicet caput utique moraliter custoditur adversus omnes peccaminosos incursus, qui praesertim ex parte diaboli causantur.

Considera 2° amictum esse revera *galeam salutis* scilicet aeternae seu esse debere, sub cuius tutela clericus incedit securus, si eum magna devotione portat, quia constituitur sub speciali protectione divina. Deus enim protegit ministros suos fideles, nec permittit eos incursibus hostium succumbere, nisi ipsi sese ultronee hostibus tradant. Gaudeas igitur, carissime frater, quia sub speciali tutela divina constitueris, unde digne ambules hac potenti protectione adiutus.

Considera 3° hanc potentem tutelam significare etiam *modum*, quo amictus portatur, quatenus non solum tegit amictus caput, sed

tiam humeros (proinde et humeralis [vestis] licitur), i. e. fere totum hominem. Et ita vere fit clerico *galeâ salutis* ad arcendos diabolicos incursus. Nihil igitur timere debes, carissime frater, cum ita habites sub adiutorio Altissimi protegentis te scuto veritatis seu fidelitatis divinae.

III.

Considera 1° amictum esse galeam salutis *ad expugnandos seu superandos omnes diabolicos incursus.* Ne obliviscaris, carissime frater, te expositum esse huiusmodi incursibus diaboli et quidem te plus quam laicos. Circuit enim satanas sicut leo quaerens quem devoret (I Pet. 5, 8). Forsitan hos incursus hucusque non expertus es, sed venient certe et quidem citius et vehementius quam tibi gratum erit. Sed nihil timeas, sub tuto et securo praesidio constitueris.

Considera 2° amictum esse tibi galeam salutis ad *superandos* huiusmodi incursus diaboli. Certe vinces et superabis omnes incursus, si legitime certaveris (II *Tim.* 2, 5). Gratia enim divina potentior est et efficacior omni potestate adversaria. Media enim supernaturalia, inter quae et amictus numeratur, efficacia sunt et dantur nobis, ut efficiant, quod significant.

Considera 3° amictum conferre, quia est vestis sacra, gratias sufficientes ad *omnes*

incursus diabolicos expugnandos, sive huiusmodi incursus respiciant virtutes theologicas sive morales, sive officia sive obligationes status tui sive quodcumque aliud. Nihil enim diabolus intentatum relinquet ad te labefactandum sive impugnando fidem tuam, sive spem, sive caritatem Dei. Ipse experientiam habet plurium millium annorum et scit, quomodo clericum etiam religiosum tentare debeat, ut ei noceat. Cave igitur his diabolicis incursibus. — Sacra igitur est vestis haec parva, quae amictus dicitur, quapropter et sacram eam habeas, quotiescumque eam tibi imponas; impone eam cum gravitate et reverentia, ut revera sit tibi galea salutis ad expugnandos omnes diabolicos incursus.

24. — De (veste) alba.

Vestis altera et secunda, qua utitur clericus maior in sacris functionibus, dicitur *alba* (vel camisia) ex lino confecta, quae nihil aliud est quam tunica antiquorum Romanorum in usum sacrum recepta; iam anno 398 in consilio Carthaginiensi eius utpote vestis liturgicae mentio fit. Tria significat, scilicet *iustitiam*, pretioso sanguine Christi acquisitam, *gratiam sanctificantem* et *puritatem* et *sanctitatem* famuli Christi, uti patet ex formula, quam clericus induendo albam recitare debet: « Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut

in sanguine Agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis » (Verba praescripta ab Ecclesia sacerdoti, dum induit albam).

I.

Considera 1° albam significare *iustitiam*, qua minister Dei instructus esse debet. Iustitia haec nihil aliud est quam sanctitas Christi sanguine ex sacrificio crucis acquisita, et in clerico illi iustitiae originali similis esse debet, qua ornati erant protoparentes ante lapsum. Sancta et iusta igitur debet esse anima clerici sicut corpus eius, veste hac alba indutum, totaliter et undequaque albedine circumdatur. Caveat igitur clericus, ne sit exterius purus et albus, interius inquinatus et immundus.

Considera 2° iustitiam hanc albedinem interiorem vocari, quia manifestare se debet *exercitio virtutum*. Iustus enim est, qui Deo, sibi et proximo praestat, ad quae tenetur, et hoc fit exercendo actus virtutum theologicarum et moralium, non solum exercendo actus iustitiae. His actibus virtutum constat iustitia et etiam sese manifestat. Unde iustus non potest dici clericus, qui tales actus virtuosos non exercet.

Considera 3° ad hanc iustitiam conservandam imo et augendam necesse esse, ut clericus *caveat a peccatis* non solum communibus sed etiam minimis. Quamvis sit homo fragilis et facile in peccata ruat, tamen nullam maculam

peccati in se cohabitare sinat, sed statim purget animam suam a macula contracta, ut pura mente puroque corpore « sanguine agni dealbatus » Deo fideliter serviat.

II.

Considera 1° vestem albam significare etiam *gratiam sanctificantem*, qua animam subdiaconi et cuiusvis clerici maioris propter continuum ministerium ad altare Dei ornatam esse oportet. Hanc gratiam sanctificantem custodiendam *alba* ipsam semper admonet. Quomodo enim possit Deus sibi complacere in clerico, cuius anima hac gratia caret et qui propterea est membrum et servus diaboli? Vides quam necessario anima tua gratiam sanctificantem conservare debet.

Considera 2° gratiam sanctificantem necessariam tibi esse *propter temetipsum*, ut tibi ministerio tuo sacro mereri possis tum alias gratias ad officium tuum rite implendum, tum ut bonis operibus mereri possis vitam aeternam. Absque gratia autem sanctificante frustra laborabis, imo iram Dei super caput tuum congeres, quia irritas Deum vita tua peccatis obnoxia. Si ergo indues deinceps albam, memento, qualem te esse debeas quoad animam scilicet mundum et ornatum habitu gratiae sanctificantis.

Considera 3° laicos fideles te habere ratione huius vestis albae *angelum*, i. e. ita purum et gratia sanctificante Deo accepta-

ilem, sicut angelum. Vae tibi, si hypocrita ueris, exterius apparendo in forma angeli, nterius coram conscientia tua et coram Deo vere existendo in forma diaboli. Crede mihi, per longum tempus sub hac duplici specie te non posse stare in ministerio sacro. Aut - Aut; aut fideliter servies in veste gratiae sanctificantis - aut maledictus a Deo subiugaberis diabolo!

III.

Considera 1° vestem albam ultimo significare et exposcere a clerico *sanctitatem vitae*, quae nihil aliud est, quam impletio officiorum ministerii sacri non lucri temporalis causa, sed ex puro amore erga Deum, exercitium deinde bonorum operum, exercitium actuum virtuosorum etc. Haec omnia sancto homini incumbunt. Putas forsan, carissime frater, praedicta tria parum esse; utique concedi posset, sed tamen sufficiunt, si accurate fiunt.

Considera 2° sanctitatem praedictam nimio labore *acquiri paulatim*, non esse donum Dei cum ordinatione coniunctum. Unde te non taedeant diuturna bella, quotidianae mortificationes, cruces frequentes cum patientia tolerandae ad hanc sanctitatem requisitam a te comparandam. Roma non unica die aedificata est, nec sanctus fit homo brevi tempore parvoque labore.

Considera 3° sanctitatem crescere in dies aliquo levi et parvo medio, quod dicitur as-

sidua *diligentia circa minima*. Sanctitas ipsa non enim consistit in maximis sed in minimis, sed his fideliter ex caritate Dei adimpletis. Examina igitur te, quomodo velis consequi iustitiam et sanctitatem cum gratia habituali coniunctam et veste alba designatam quotidiano virtutum et operum bonorum exercitio.

25. — De cingulo.

Cingulum, ut iam nomen dicit, inservit ad cingendum vestes, in nostro casu vestem albam. Per respectum ad Christum passum — vestes liturgicae destinantur ad renovandam passionem Christi — designat funiculos, quibus ductus est ante tribunalia vel quibus est flagellatus. In sensu morali significat continentiam et castitatem et continuam mortificationem et abnegationem sui ipsius, quibus clericus maior praesertim sacerdos exornatus esse debet. Unde cingendo se orat sacerdos: « Praecinge me, Domine, cingulo puritatis et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiae et castitatis » (Verba praescripta ab Ecclesia sacerdoti, dum sese cingit).

I.

Considera 1° cingulum significare imprimis *puritatem*, tum animae et corporis generaliter, scilicet ab omni peccato, quod coinquinat

hominem, sed specialiter a peccatis sensualibus, quae maxime deturbant hominem et ineptum et abominabilem reddunt ad ministerium sacrum. Quomodo posset homo luxuriosus et libidinosus, qui pravis inclinationibus et passionibus indulget, acceptabilis esse oculis Dei?

Considera 2° hanc castitatem maxime conservari per *assiduam* custodiam sensuum, ne scilicet quid periculosi in animam per sensus exteriores penetret, quod ad peccatum conducere possit. Per oculos praesertim sicut per fenestras intrat mors in animam; quapropter, si velis tibi puritatem animae conservare, ambula caute nec permittas oculos tuos circumvagari.

Considera 3° hanc puritatem animae etiam significari per *materiam cinguli*, quod ex lana communiter debet esse confectum, lana autem ab agno sumpta est, qui est figura Christi. Undequaque ergo habes, carissime frater, signa memorativa, quae te adhortantur ad eas virtutes, quibus instructus esse et quas quotidie exercere debes.

II.

Considera 1° clericum cingendo se Deum orare de *virtute continentiae*, quae, secundum sanctum Thomam, « refrenat impetum passionis, ex qua fit, ut licet homo immoderatas concupiscentias patiatur, voluntas tamen non vincatur » (S. Th. II-II, q. 143, a. 1, c). Se-

cundum dictamen rationis et fidei, homo praesertim clericus has concupiscentias refrenare debet et hoc fit ope virtutis continentiae.

Considera 2° hanc virtutem esse *specialem donum Dei*. Homo, in quocumque statu etiam sanctissimo sit, remanet fragilis, imo valde fragilis; facile cadit, nisi Deus eum in sanctis propositis conservet. Unde clericus iuxta mentem Ecclesiae cingendo se de hoc dono continentiae, quae ex se quidem virtus acquisita esse potest, Deum oret et instanter illud exoret, ut maneat in se haec virtus continentiae.

Considera 3° si velis nomen continentiae latiori sensu sumere pro *abstinentia*, clericum illa virtute instructum esse oportere, quae regulat sumptus potus et cibi. Moderate enim clericus cibo et potu uti debet, scilicet ad conservandam sanitatem, ad labores in ministerio sacros subeundos, secus enutriet humores libidinis, quae expostulat implendi desideria carnis. De hac re maximi momenti semper cogita et vigila, si velis liber esse a periculosis et superfluis tentationibus. Iam his exercitiis, carissime frater, illa excita proposita, quae in futura vita implere velis, ut mundo corde et corpore Deo servire valeas!

III.

Considera 1° clericum cingulum sibi circumdando a Deo expostulare virtutem castitatis et quidem « ut *maneat* in me ». Hac

oratione petit a Deo illam virtutem, quae est circa delectationes venereorum, ut dicit sanctus Thomas (*S. Theol.* II-II, q. 151, a. 3). Huiusmodi autem clericus maior ratione voti solemnis totaliter in se vincere et reprimere tenetur. Vae illi, qui in hoc puncto negligens et remissus esset; certe libido eum brevi tempore totaliter superaret.

Considera 2° cingulum habere duas extremitates, quae significant duo *necessaria media* ad servandam castitatem, scilicet vigilantiam et orationem iuxta verba Salvatoris: « Vigilate et orate » (Matth. 26, 4). *Vigilare* debet clericus sicut in specula positus, ut inimicum appropinquantem statim arcere, vincere et fugare possit. « Principiis obsta, sero medicina paratur » Ovidii valet etiam pro pugna spirituali. Tentatio in suo semine facile reprimitur; si autem creverit, actum est de te. Quapropter vigila et caute ambula, uti dixi, sicut custos in specula positus.

Considera 3° alterum medium scilicet *orationem* aequali modo clerico esse necessarium, si velit castitatem perfecte observare. Dico orationem non solum illam, qua quotidie Deum precatur de hac necessaria virtute, sed etiam illam, quam continuo adhibet, quotiescumque a carne vel mundo vel diabolo tentatur. Hac supplici et ferventi oratione certe omnem tentationem feliciter superabit. — Perpendas, quomodo tu, carissime frater, has ambas virtutes, continentiam scilicet et castitatem per cingulum significatas, colere et exercere velis.

26. — De manipulo.

Vestem distinctivam subdiaconi esse manipulum ex eo patet, quia — quamvis tunica ab aliis indui possit — manipulus a solo subdiacono portari potest. Antiquis temporibus sudarium fuisse videtur vel iuxta Rhabanum Maurum mappula, qua velata erat manus sinistra in administratione sanctissimi Sanguinis Christi e calice sic dicto ministeriali. Exinde a saeculo IX, pertinet ad ornatum subdiaconi, diaconi et sacerdotis et est ex eadem materia ac dalmatica et casula. Manipulus unice inservit celebrationi missae, extra missam non portatur et significat poenitentiam sicut et labores ministerii sacri, quos clericus libenter subire debet ut accipiat in fine vitae mercedem laboris.

I.

Considera 1° episcopum ordinando in porrigendo manipulo dicere: « Accipe manipulum per quem designantur *fructus bonorum operum* » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione subdiaconi). Ex intentione Ecclesiae igitur tenetur ad fructus bonorum operum vel potius ad bona opera, praesertim ad explenda officia muneris sacri sui, ex quibus deinde percipiet fructus. Non igitur frustra laborabit in sacro ministerio.

Considera 2° hos fructus non percipere *nisi qui fideliter servierit*. Fructus nemo accipere potest, qui non aliquid praestiterit. Quomodo Deus possit praemiari famulum, qui sibi non servierit vel negligenter tantum? Si igitur, carissime frater, speres fructus ministerii tui, ne obliviscaris Deo in ministerio tuo sacro fideliter servire.

Considera 3° manipulum, utpote olim *sudarium*, etiam ipsum semper ex sese adhortari subdiaconum ad huiusmodi bona opera, secus antea sudario non indiguisset. Qui non laborat, non sudat nec indiget sudario. Sic igitur manipulus utpote sudarium commonefacit ad continuum laborem in ministerio sacro. Ne sis nec fias segnis in hoc ministerio!

II.

Considera 1° manipulum etiam esse signum *poenitentiae* i. e. subdiaconum oportere impletum esse spiritu verae poenitentiae tum de peccatis propriis tum de alienis. Unde et subdiaconus, dum manipulum imponit, orat: « Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris » (verba praescripta ab Ecclesia, dum manipulus induitur); sed de quo? Procul dubio de nullo alio nisi de peccatis, quibus Deus offenditur. Fletus et dolor autem signa et effectus sunt veri spiritus poenitentiae.

Considera 2° *optimam poenitentiam*, iuxta s. Gregorium Magnum esse flere peccata commissa et alia peccata non amplius com-

mittere. Quid prosunt flumina lacrimarum de peccatis absque vero et sincero spiritu poenitentiae, si homo non interne peccata commissa detestatur? Nihil aliud sunt nisi mere signa externa, et pertinent ad ea, de quibus Deus iam in Antiquo Foedere dixerat: « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me » (Is. 29, 23).

Considera 3° ex alia parte *spiritum verae poenitentiae etiam sese manifestare signis externis,* inter quae fletus et dolor, opera imo etiam poenitentiae adnumerari debent. Si enim cor hominis vere plenum est sincero amore erga Deum, dolet de peccatis et affectus sui sinceri doloris vult externe manifestare, signis et operibus sensibilibus, ut etiam corpus — operibus poenitentiae — in hoc affectu poenitentiae interioris participet. Ad hoc igitur etiam tè, carissime frater, debet manipulus fletus et doloris admonefacere.

III.

Considera 1° formulam sub qua manipulus imponitur, integram sonare: « Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris », — cur? — ut *cum exultatione* i. e. summo *gaudio recipiam,* vita hac terrestri terminata, *mercedem laboris.* Ad praemium igitur futurum et aeternum mens clerici semper dirigatur. Quam necessaria est haec essentialis directio mentis!

Considera 2° subdiaconum, dum digne

portat manipulum et fideliter adimplet officia sua, non carere etiam *mercede terrestri*, gaudio scilicet interno, quod provenit ex ministerio fideliter adimpleto et benedictione divina, quam consequitur quilibet minister Dei fidelis et assiduus. Salvator hanc mercedem vocat pacem (Ioan. 14, 27), quam mundus dare non potest et quam promittit ipse omnibus suis amicis.

Considera 3° clericum maiorem, qui hic digne portat manipulum *fletus et doloris*, revera *felicem* esse, in quantum status peregrinationis hoc permittit. Hac in terra exultatione non caret, maiorem mercedem expectat in aeterna vita et utriusque *pignus* est ei manipulus, qui ei pendet e manu sinistra. Attendas igitur, ut manipulum tuum portes cum fletu et dolore, tunc certe obtinebis mercedem laboris terrestrem et caelestem. Fac fructus bonorum operum, ferve spiritu poenitentiae et praemium laboris tibi obtinget.

27. — De tunica.

Vestis solemnitatis subdiaconi, quamvis ei non propria, est tunica, fere totum corpus eius circumdans et obtegens, ex parte saltem, etiam brachia et sic circumvelans ea, quae in eo corporis humani et terrestris sunt et elevans eum quasi super terram, ipsumque ponens inter ministros Dei excellentes, quos angelos

dicimus, in quibus nihil terrestre, animale, caducum est videre. Haec tunica sicut et dalmatica dicuntur ab Ecclesia vestes laetitiae; portantur solum diebus solemnibus (si excipias missas solemnes de Requiem) cum diebus ieiunii iuxta rubricas a levitis induuntur sic dictae « casulae plicatae ».

I.

Considera 1° tunicam vere esse *vestem laetitiae*, unde induendo subdiaconus orat ex praescripto Ecclesiae: « Tunica iucunditatis et indumento laetitiae induat me Dominus » (Verba praescripta ab Ecclesia, dum subdiaconus induit se tunica). Si autem tunica dicatur vestis laetitiae, utique de laetitia spirituali et supernaturali sermo solum esse potest, de illa nimirum, de qua s. Paulus scribit: « Gaudete in Domino et iterum dico vobis gaudete » (*Phil.* 4, 4). Hac supernaturali et spirituali laetitia implearis, quotiescunque in magnis solemnitatibus tunicam indueris.

Considera 2° subdiaconum *revera causam habere laetitiae*, dum indutus tunica ministrat ad altare, quia non solum testis solemnitatis est eorum, quae in altari fiunt, sicut ceteri fideles etiam praestantissimi, sed actualiter participat sacrificii altaris, imo active cooperatur ad illud conficiendum.

Considera 3° et quia ita active cooperatur, subdiaconum etiam post sacerdotem celebran-

em maxime *participare de fructibus sacrificii* uius. Vides, carissime frater, quam merito dsunt causae laetitiae spiritualis! Quapropter maximis gaudiis debet impletum esse cor lerici, quando ad assistendum et ad portandum vestem laetitiae in missae sacrificio admittitur et vocatur.

II.

Considera 1° tunicam etiam esse vestem *honorificam*, quae scilicet subdiacono honorem onfert plusquam omnes aliae vestes, quae nter homines honorificae reputantur. Est nim vestis Regis caelestis, Dei omnipotentis, t excellens et nobilis vestis, ni fallor. Et si uid valeat indutum esse veste aliqua inter omines aestimata, ex. gr. iudicis, advocati, fficialis militaris, certe haec vestis sacra nnibus aliis anteponenda est.

Considera 2° hanc vestem honorificam etiam *ortari debere* a subdiacono cum honore, sciet ut conversatione sua ei ignominiam non lum inferat, sed e contra ea se dignum raebeat. Caveat igitur subdiaconus, ne sub ac honorifica veste (etiam postea qua sardos) occultetur hypocrita, qui sub specie nctitatis vitiis indulgeat, quibus vestem sam commaculet.

Considera 3° hanc vestem ei *esse in horem*, qui onera status sui fideliter adimplet. eut vestis non sanctum reddit hominem, ex sese non honorem tribuit, sed solum

ei, qui ea dignum sese praebet, adimplendo accurate et fideliter officia status sui, cui per accidens talis vestis coniungitur. Vestis solum externum signum esse vult interioris animae status, dispositionis, gradus, dignitatis vel officii.

III.

Considera 1° tunicam, quia vestem laetitiae et honoris, ita etiam *esse laboris*, spiritualis, supernaturalis laboris, non solum respective ad ministeria in Ecclesia praestanda, sed etiam quoad *propriam animam*. Haec enim anima, si paulatim omnibus statui clericali necessariis virtutibus exornari debeat, requirit laborem, continuum et assiduum laborem.

Considera 2° tunica illum dignum non esse, qui hunc *laborem* erga propriam animam *suscipere nollet*. Quomodo enim posset cum honore tunicam portare, si erga proprium profectum indifferens remaneret, praesertim cum, iuxta s. Bernardum, qui non progreditur, regreditur, nec datur in vita spirituali stagnatio? Putasne forsan subdiaconum magnam habere laetitiam ex tunica, si proprio profectui non intendat? Mox frigidus erit et omnia spiritualia et ad sanctitatem conducentia negliget et proiiciet.

Considera 3° veram laetitiam spiritualem, de qua in primo puncto, *causari unice ex labore* et praesertim circa propriam animam, quae non potest esse nimis iusta, sancta,

perfecta. Gaudium enim, quod proprio labore causatur, plus laetificat animam, quam illud, quod quasi ex improviso et accidentaliter vel casualiter homini obvenit. Si igitur velis gaudere in te de veste tua laetitiae, incumbas labori circa animam tuam et desiderium tuum implebitur. Stude igitur, ut tunica sit tibi vestis laetitiae, honoris per hoc, quod laborem circa proprium animae profectum non negligas.

28. — «In Ecclesiae ministerio».

Minister Dei est clericus, subdiaconus, non minus etiam minister Ecclesiae ut episcopus in praevia exhortatione ad ordinandos dicit: « Deo perpetuo famulari oportet... *atque in Ecclesiae ministerio* semper esse mancipatos » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione subdiaconi). Sed ecclesia non solum designat templum lapideum cum altari, sed etiam homines in Christum credentes, qui membra insimul sumpta efformant corpus Christi mysticum, seu Ecclesiam fidelium, sive Ecclesiam aliquam particularem sive universalem, in cuius ministerio igitur subdiaconus perpetuo est mancipatus.

I.

Considera 1° subdiaconum esse ministrum ecclesiae, i. e. alicuius templi seu *domus Dei determinatae*, in qua officium suum explere debet. Servitia, quae ei incumbunt, respiciunt

sic dictam assistentiam ad missam solemnem, benedictionem solemnem ceterasque solemnitates, ad quas subdiaconus apparet vestitu quodam distincto ad latus sacerdotis celebrantis. Officia huiusmodi non sunt servilia, sed servitia honorifica, quod etiam dicendum est de aliis officiis, quae ei incumbunt ratione ministerii sui sacri.

Considera 2° subdiaconum in hoc ministerio Ecclesiae esse *mancipatum*, i. e. obligatum, sicut servus obligatus est ad praestanda servitia domino suo. Obligatio nullam libertatem relinquit, sed stricte postulat impletionem eius, ad quod quis obligatur. Unde subdiaconatus ad talia ministeria semper obligat praestanda, etiamsi homini quandoque non placeant, et ad implenda ea tenetur, quotiescumque vocatur vel ei praecipitur.

Considera 3° subdiaconum in hoc ministerio esse *semper* mancipatum, scilicet ad tempus vitae etiam quando factus est sacerdos, quia non desinit esse subdiaconus. Imo maiori cum diligentia tenetur qua sacerdos exsequi officia inferiorum ordinum, qui in superiori per eminentiam includuntur. Iure merito igitur exigit Ecclesia a subdiacono, ut talia ministeria semper exsequatur.

II.

Considera 1° subdiaconum mancipatum esse in ministerio *Ecclesiae* alicuius particularis, i. e. in favorem determinatorum membrorum

Christi. Hoc enim speciale habent ordines ecclesiastici, quod non sint in utilitatem singulorum, qui illos ordines susceperunt, sed in utilitatem aliorum; nullus enim est sacerdos propter semetipsum, sed propter alios, in quorum gratiam ordinem suum exsequi debet. Sic enim sacerdos *tenetur* ratione officii sui praedicare, offerre sacrificium missae, dispensare sacramenta, aliis benedicere etc. Et eodem modo etiam subdiaconus tenetur fideliter implere ministeria ordinis sui sacri.

Considera 2° subdiaconum huiusmodi ministeria exsequi teneri *non spe lucri temporalis*, sed ex obligatione ordinis sui, nisi velit fieri mercenarius. Fideles ius habent ab eo talia ministeria exigere, cum ipse sit ad hoc ordinatus, i. e. ordinem suscepit.

Considera 3° subdiaconum esse in ministerio Ecclesiae i. e. fidelium etiam hoc includere, ut fidelibus *bono exemplo praeeat*. Et hoc fideles ab eo exigere possunt. « Sapientibus et insipientibus debitor sum » (*Ad Rom.*, 1, *v.* 14), dicit s. Paulus de seipso procul dubio etiam quoad exemplum bonae vitae. Et hoc valet eodem modo de subdiacono. Vides igitur ad multa teneri subdiaconum, si de eo dicitur, quod sit mancipatus in Ecclesiae ministerio. Ne omittas hoc ministerium in Ecclesia fidelium fideliter explere.

III.

Considera 1° subdiaconum, praesertim regularem seu religiosum, etiam teneri ad ministerium in *Ecclesia universali*. Disponimur a praelatis ordinis ad ministrandum fidelibus mox hic, mox alibi, in diversis terris et mundi partibus, quandoque etiam inter fideles diversarum linguarum et nationum. Cognoscas te, carissime frater, in tali casu esse membrum Ecclesiae universalis, ministrum Christi, qui in caritate sua omnes homines aequali modo amplectitur eisque absque respectu personarum bona sua distribuit. Et certe clericum oportet esse alterum Christum!

Considera 2° nihil differre, utrum Deo *hic vel alibi* in ordine tuo sacro ministres; attamen multum interest, ut Ei fideliter servias munus sacrum obeundo. Deus quidem ministerio tuo non indiget, quando mittit te per superiores tuos ad terras exteras, exspectat tamen, ut ei fideliter ministres. Et animae humanae absque exceptione omnes pretiosae sunt in oculis Dei, utpote ab Ipso creatae et sanctificatae.

Considera 3° hac *caritate* omnes homines aequali modo amplectente te valde *indigere*, antequam subdiaconatum susceperis et perfectus minister Dei et Ecclesiae esse possis. Examina te, utrum omnia officia cum ministerio Ecclesiae coniuncta in te suscipere velis.

29. — Cur clericus maior ad breviarium obligatur.

Ordinatione subdiaconatus accepta deinceps usque ad finem vitae tuae sub gravi obligaberis ad recitationem breviarii integri quotidianam, carissime frater, et uti scis, iam tunc ex duplici ratione, scilicet professionis solemnis, si religiosus votorum solemnium factus sis, et ordinis sacri maioris, et quidem, ne haec circumstantia omittatur sub gravi peccato. Cur haec gravis obligatio? cur usque ad finem vitae? cur ad tot longas preces, quae praeterea quoad quamdam partem quotidie repetuntur? Estne hoc onus dicendum, onus breviarii in vero sensu? Utique, non nego, recitationem breviarii esse onus, etiam grave, quandoque ratione aliorum laborum, etiam durum; attamen simul etiam salutare, imo suave, si scias hanc obligationem rite implere ex causis, quibus ab Ecclesia tibi impositum, scilicet propter Deum, teipsum et proximum.

I.

Considera 1° recitationem breviarii tibi imponi *propter Deum,* scilicet ad eum *laudandum,* quia « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam » (Ps. 113, 9). Et revera propter opera sua mirabilia creationis, redemptionis et sanctificationis Deus est lau-

dandus et glorificandus. Et quis esset ad hoc magis obligatus nisi clericus, praesertim sacerdos, qui maxima accipit et quotidie accipit? Plurimas igitur causas habes quotidie ad Deum laudandum.

Considera 2° recitationem breviarii tibi imponi *ad Deo gratias agendas* propter immensa beneficia naturalia et supernaturalia tibi et toti humano generi collata. Et quis iterum esset magis obligatus ad tales gratias ferventer agendas nisi clericus, qui toto corde orare potest: « Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? »? (Ps. 115, *v.* 12). Estne forsitan nimia quantitas harum precum breviarii, si eam compares tanti moli beneficiorum benignissimi Dei?

Considera 3° recitationem breviarii tibi imponi ad *expetendas a Deo gratias et benedictiones* pro te et reliquo humano genere. Nonne omnes sumus miseri mendici coram Deo, nos omnes filii hominum? Quidquid sumus et habemus Dei donum est. Nisi ipse nobis benignissime provideret, misere periremus! Quam necessaria est igitur breviarii recitatio clerico maiori ad Deum laudandum, celebrandum, expetendum!

II.

Considera 1° recitationem breviarii quotidianam, carissime frater, ab Ecclesia imponi propter *temetipsum* i. e. in tui ipsius utilitatem. Multum enim interest, ut *spiritus*

bonus, spiritus Iesu in te non solum conservetur (utinam saltem hoc, ne frigidus fias), sed etiam in diem crescat. Hoc autem obtinetur oratione ferventi vel continua vel saltem saepe repetita. Qualis ille spiritus esse debeat, legis in breviario, ubi in psalmis, lectionibus s. scripturae, homiliis Patrum et orationibus Ecclesiae dicitur et in exemplis vividis Sanctorum proponitur, quonam spiritu famulus Dei fidelis in ministerio sacro occupatus imbutus esse debeat.

Considera 2° ferventi et devota recitatione breviarii te recipere *gratias* non solum sufficientes imo et superabundantes, ut omnibus tuis obligationibus status clericalis satisfacere possis: « Petite et dabitur vobis » (Matth. 7, *vers.* 7). Qui multum petit, multum accipit, qui parum, parum, qui nihil, nihil. Vides, carissime frater, quomodo fervens et devota recitatio breviarii tibi esse possit fons largus gratiarum!

Considera 3° ferventi et devota recitatione breviarii te invenire veram *felicitatem* in statu tuo sacro. Felix est quicunque orat. Observes clericos tibi notos! Dic: Nonne sunt intantum felices et beati in exercendis muneribus suis, inquantum ferventer orant, recitantque breviarium? Specialem enim benedictionem pro quocunque clerico Deus adiunxit fideli et devotae breviarii recitationi. Si igitur amas temetipsum, stude, ut quotidie recites pensum tuum canonicum cum maxima devotione et diligentia.

III.

Considera 1° recitationem breviarii tibi imponi etiam *propter proximum* i. e. propter Christi fideles, quorum curam geris, quamvis actuali cura animarum non occuperis. Clericus enim ordinatur, uti iam diximus meditatione praecedenti, in ministerium Ecclesiae seu fidelium, non in propriam utilitatem. Quapropter pro universitate fidelium recitatione breviarii orare debet. Unde et ante orationes semper dicit, ex quo Diaconus factus est: Dominus vobiscum, scilicet cum fidelibus.

Considera 2° clericum recitare breviarium *nomine Ecclesiae;* unde hoc genus precum non est privatum, sed publicum i. e. continet illas preces, quas universitas fidelium ad Deum porrigit, illas obsecrationes, quae omnibus cordi sunt. Unde clericus tenetur, quia persona publica, ad has preces recitandas, ne fideles benedictione divina sperata frustrentur.

Considera 3° clericum etiam *a fidelibus haberi* qua mediatorem populi apud Deum. Unde a fidelibus temporalia et materialia accipit, quamvis, qui altari inservit de altari etiam vivat (I *Cor.* 9, 13), tamen etiam vice versa, qui a fidelibus temporalia accipit, eis etiam spiritualia a Deo expostulare debet. — Quot motiva et quanta ad ferventem recitationem breviarii quotidianam! Quomodo tu,

carissime frater, hanc obligationem gravem implere velis? Qualia proposita pro futuro facies?

30. — De pretio recitationis breviarii.

In breviario et eius recitatione thesauros absconditos esse gratiarum sicut et idearum pulcherrimarum cuilibet patebit, qui illud accurate circa materiam inspexerit. Continet enim magnificas *preces, instructionem religiosam* de veritatibus fidei et morum sumptam ex libris sacrae scripturae et operibus Sanctorum Patrum, simulque splendidissimam *illustrationem* eorum, ad quae clericus tenetur, exemplis vividis Sanctorum. Sub hoc respectu recitatio breviarii cuilibet clerico summi pretii esse debet.

I.

Considera 1° *preces* breviarii, quod attinet sumptas esse ex libris inspiratis, puta libro psalmorum, libris prophetarum (cantica) vel Evangeliorum. Sunt igitur preces, quibus Deus ipse honorari et orari vult. Unde et continent omnia, quae preces bonae continere debent. Num singularis homo nobiliores, sublimiores, subtiliores preces excogitare poterit? Si libet, memineris illius versiculi: « Quo ibo a spiritu tuo? » (Ps. 138, 7), vel

« Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? » (Ps. 21, 1), vel « Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra » (Ps. 8, 1). Similiter de canticis Veteris et Novi Testamenti est dicendum, de « Pater noster », quod toties repetitur.

Considera 2° fere plus quam dimidiam partem pensi canonici ex *psalmis* esse haustam, qui quidem partim saepius repetuntur, uti psalmi de Dominica, attamen nihil propterea amittunt sui vigoris et unctionis, imo quia, ut ita dicam, vitam quotidianam clerici pro obiecto habent, in dies ei illustriori pulchritudine apparent. Si enim clericus didicerit cum Ecclesia singulas preces persolvere, etiam e singulis horis ideas practicas et salutares hauriet.

Considera 3° inter preces breviarii etiam *orationes Ecclesiae* adnumerari debere nec infimum locum obtinere, quae quotidie in anima clerici novas ideas excitant vel iam notas ex alia parte illustrant et confirmant. Consideres attente, carissime frater, orationes de Tempore tum dominicales tum feriales et invenies ibi divitias idearum et fervendissimorum affectuum erga Deum.

II.

Considera 1° recitationem breviarii clerico esse pretiosam *ex instructione*, quam quotidie recipit, ex lectionibus s. Scripturae et

homiliarum SS. Patrum. Decursu unius anni omnes s. Scripturae libri saltem per modum resumpti seu partium selectarum a clerico perleguntur, et quidem partes dogmaticae, morales, doctrinales, historiales, propheticae ex utroque testamento. Semper loquitur Deus ad eum de diversis materiis; mox legit vocem gaudii, mox tribulationis, materia principalis est Deus, Christus Salvator in opere suae incarnationis, redemptionis, glorificationis, qui cum Patre et Spiritu Sancto regnat et agit in animabus hominum per omnia saecula saeculorum.

Considera 2° quia s. Scriptura difficilis est intellectu clericum explicationem huius divinissimi libri legere in *homiliis* et *sermonibus SS. Patrum*, qui testes traditionis, utpote piissimi, fontes revelationis, nobis optime explicare possunt, quid Deus humano generi revelaverit, quid ab eo postulet observandum. Patet igitur clericum, qui tales lectiones attente et devote recitaverit, simul accipere perfectam instructionem religiosam.

Considera 3° huiusmodi lectiones ita scriptas esse, ut a *quocunque clerico* callente linguam latinam de facili intelligi queant. Sola attentione opus est, et uti patet, devotione, ne huiusmodi lectiones fiant ad modum alicuius studii inquisitivi et desinant esse orationes. Certe clericus, qui cum attentione et devotione huiusmodi lectiones percurrerit, non absque spirituali utilitate

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY
recitationem breviarii finiet. Qui autem breviarium aliis oculis inspexerit, ac dictum est, certe in eius recitatione onus videbit.

III.

Considera 1° recitationem breviarii clerico magni pretii esse, quia veritates fidei et morum vividis exemplis Sanctorum quasi *illustratas* exhibet. Verba movent sed exempla trahunt. In his vividis exemplis contemplaris, carissime frater, quomodo tu esse debeas, quibus virtutibus excellere, qua sanctimonia vitae nitere. Ne huius obligationis obliviscaris, talia exempla — tacere volo de summo exemplo Salvatoris nostri, quod fere qualibet pagina ob oculos ponitur — quotidie demonstrantur.

Considera 2° Ecclesiam in illa oratione, quae ad Vesperas et Laudes notatur et festiva dicitur, Deo preces porrigere de *illa virtute* donanda, quo respectivus Sanctus maxime excelluit. Ne omittas ad hanc virtutem specialem attentionem et studium tuum dirigere et illam hoc die specialiter colere et exercere. De facili possit clericus sanctus fieri, et quidem facillimo modo, si hoc quotidie facere voluerit, colligendo sic sicut apis a singulis Sanctis singulas eorum virtutes easque exercendo.

Considera 3° ad hunc fructum acquirendum cavendum esse a *nimia celeritate* vel morositate in recitatione breviarii, ut scilicet satis

a, quae legis, perpendere possis. Deum recitatione breviarii colere et honorare intendis et saluti animae tuae prodesse, unde bene fac, quae agis. « Spiritus est qui vivificat » — etiam in recta recitatione breviarii — « caro i. e. littera non prodest quidquam » (Ioan. 6, 64). Qualia proposita facies circa accuratam et devotam recitationem breviarii?

31. — De lege coelibatus.

Ecclesia catholica clericis maioribus ordinatione subdiaconatus legem coelibatus imponit, quae non solum eis prohibet, quominus uxores ducant matrimoniumque ineant, sed etiam eos obligat, ut sese abstineant ab omnibus, quibus castitas animae et corporis cogitationibus, verbis vel operibus maculatur. Lex est haec et quidem gravis i. e. obligans clericos maiores sub peccato mortali ad tempus vitae, nec dispensationem admittit, si agitur de sacerdotibus; quoad subdiaconos et diaconos rarissime et nonnisi sub aliquo onere dispensatur. Sed quaeris forsitan, carissime frater, quare haec lex gravissima est et perpetuo obligans? Abstraho ab hoc, quod iam voto solemni castitatis obligatus sis, et dico: Lex coelibatus datur clericis maioribus propter *Deum*, propter *semetipsos* et *fideles*.

I.

Considera 1° clericos maiores ad coelibatum obligari imprimis *propter Deum*, ut ipsi strictius coniungantur. Ministerium divinum debet esse perfectum, etiam ex parte ministrorum, qui certe tanto perfectius altari servire poterunt, quanto purius et abstractius a quacumque re saeculari vivere curant. Quamvis matrimonium in se sit bonum, tamen virginalis castitas est bonum melius et hoc Deus a clerico exigit.

Considera 2° clericum Deo servire debere *corde indiviso*. Sed sicut mulier nupta (cfr. I *Cor.* 7, 33) divisa est scilicet inter Deum et virum, ita et clericus uxoratus cor divisum haberet inter Deum et uxorem et reliquam familiam, ita ut ad altare ministrans cogitationibus suis distractus de aliis rebus curaret quam de sacrificio Deo Optimo Maximo digne et devote offerendo.

Considera 3° clericum coelibem *omnibus suis operibus erga Deum* melius satisfacere posse, quia unice cogitat de eis, quae Deo placent et quae Deus ab eo exigit. Cogitabit igitur de decore domus Dei, de munere suo sacerdotali in ambone, ad altare, in confessionali, in schola, quoad infirmos, pauperes, debiles etc., in quibus omnibus vicem gerit Dei et Domini sui Salvatoris Iesu Christi et libenter haec officia implebit, quia a nulla alia cura impeditur. Quid autem faciet in

is officiis clericus uxoratus? Quomodo Deum egliget et postponet, quia cor suum plenum liis curis, gaudiis, delectationibus!

II.

Considera 1° legem coelibatus perfecti tiam esse in *utilitatem ipsius clerici maioris*, upposito, quod vitam castam liberamque ab mni macula foetida ducat. Sensualitas enim ominem ad inferiora trahit. Hanc clericus aior voto coelibatus obligatus perfecte vinere conatur et quanto magis eam supprimit, anto facilius spiritus ad superiora ascendere otest. Statu autem matrimoniali hoc fere mpossibile esset.

Considera 2° hanc suppressionem sensualiatis quidem *maximas et diuturnas pugnas xquirere;* hoc verum est. Ex alia autem parte lericum praecise his pugnis spiritualibus liberum, expeditum et fortem reddi. Quomodo utem clericus aliis dux et magister in pugnis piritualibus esse posset, nisi ipse prius legiime certasset (II *Tim.* 2, 5), coronam acepisset, experientiam acquisivisset? Vides, uantum distant ii a recto conceptu sacerotis coelibis, qui omnibus viribus ei, uti icunt, recuperare volunt « iura humanitatis » x una parte, sed ex altera surriperent ei aximum decorem castitatis et summi occaiones triumphi utilitatemque propriae expeientiae belli spiritualis.

Considera 3° vitam castam clericum red-

dere aptum ad *vitam spiritualem ducendam*, ad quam vi officii obligatur: profundius penetrat veritates fidei, quas populo proponere debet, expeditius orare potest, facilius onera status sui subire. Profecto ad perfectionem status clericalis pertinet essentialiter coelibatus, quapropter a lege hac numquam recedet, nec dispensabit Ecclesia, ut quisquam in statu maritali exerceat functiones sacras.

III.

Considera 1° legem coelibatus necessariam esse pro clericis etiam *ratione fidelium*. Functiones sacrae exquirunt clericum expeditum, semper paratum, nulla cura temporali occupatum, qui semper fidelibus praesto est ad sacramenta administranda, quandocumque ab eis vocatur. Functiones huiusmodi tales sunt, quae totum hominem occupant, cum agatur de actibus, qui valorem etiam habere debent in caelo et in altera vita.

Considera 2° quia clericus est ad *ministrandum fidelibus* vocatus, etiam ipsum in hoc ministerio multa subire debere onera, pericula (quandoque et propriae vitae), difficultates, tribulationes, detrimenta etc. Aptusne et paratus erit clericus uxoratus, clericus dico, qui artem abnegationis sui ipsius non didicerit nec sibi acquisierit?

Considera 3° quod minime est omittendum, clericum uxoratum *nullam habere fiduciam* apud fideles, praesertim quod attinet ad ad-

ministrationem sacramenti poenitentiae. Quis tiam vellet cor suum effundere secretaque committere intima sacerdoti, de quo sciret, psum habere uxorem, quam diligit, et cui omnia enarrat, quaecumque in administratione fficii sui audivit? Vides, qualem connexum ex coelibatus habeat cum sacramento poenitentiae! — Qualia proposita nunc circa legem coelibatus facies?

32. — De mediis ad castitatem clericalem servandam.

Castitas est virtus angelica, imo iuxta sanctum Bernardum plus quam angelica, quia angeli puri sunt e natura sua, homines casti esse possunt nonnisi difficillimis et diuturnis pugnis feliciter superandis. Crede mihi, carissime frater, clerico non esse facile vitam puram et castam ex omni parte ducere: multas tentationes, gravia pericula ei undequaque imminere non solum iuniori, imo et seni. Attamen etiam media et quidem efficacia cuilibet clerico bonae voluntatis praesto sunt, quibus adhibitis certe et hoc votum suum grave ad beneplacitum Dei perfecte implebit. Tria praesertim media vellem tibi commendata habere, scilicet: *cautelam in conversatione cum mulieribus, cautelam lecturae et ferventem orationem.*

I.

Considera 1° gravia pericula castitatis clerico obvenire ex *conversatione cum mulieribus*. Diabolus numquam dormit, nec caro in te extincta est. Etiam piae mulieres, quandoque sub specie sanctitatis, tibi periculosae esse possunt! Aspectus superficiales, pressio manuum indeliberata prima causa esse potest horribilis casus et finalis interitus! Quoad conversationem cum mulieribus observa legem: Quanto rarius, tanto melius. Ceterum frequens conversatio cum mulieribus virum fecit quasi femineum: « Dic mihi, quocum conversaris, et ego dico tibi, quis sis! ».

Considera 2° ex frequenti conversatione cum mulieribus exsurgere *tentationes* circa castitatem plus minus graves. Phantasia impletur diversis imaginibus quae quandoque in se indifferentes, tamen ex diversis circumstantiis fieri possunt obiecta appetitum sensitivum excitantia, ex quibus tentationes pedetentim sese evolvunt. Etiamsi huiusmodi tentationes non exsurgerent, tamen frequens conversatio cum feminis praesertim non necessaria sensum hominis emollit.

Considera 3° si ab aliis damnis abstrahas, frequentem et inutilem conversationem cum feminis causare in clerico permultas *distractiones*, dum se orationibus, praesertim recitatione breviarii et meditatione occupat. Sed distractiones pati in oratione grave damnum

est, tum quia orationes ipsae leviores et viliores redduntur, tum quia impediunt unionem cum Deo. Vides igitur, quam necessarium tibi sit cavere a frequenti conversatione cum feminis si anima tua tibi cara sit.

II.

Considera 1° aliud medium ad castitatem servandam non minus clerico necessarium esse scilicet cavere sibi a *periculosa lectura*. Superfluum esset aliquid dicere de lectura immorali in se evitanda. Sed multa alia sunt, quae in se forsan indifferentia, nec laico periculosa, clerico autem indecentia et occasionem ei praestant, ut ex lectis tentationes exsurgant; ad minus cor eius dividitur inter Deum et res mundanas. Quid legis in nostris hodiernis libris sic dictis « belletristicis », novellis, fabulis romanensibus, in foliis periodicis, ephemeridibus etc.? Bona, quae aedificant, quam raro, res ancipites, inhonestas, periculosas, quae mentem a Deo rebusque divinis avertunt, quam frequenter. Nec mirum est, si clericus gaudium amittit de sua vocatione, si talia legerit — utique absque necessitate.

Considera 2° multos etiam clericos (imo et religiosos, quod adhuc magis dolendum est) dicere, huiusmodi materias mundanas, profanas, periculosas etc. *sibi non nocere*. Pauperrimi et miserrimi! Non sentiunt venenum, dum animae eorum funditus iam sunt

infectae. Aequiparantur tales clerici laicis, qui legunt ephemerides acatholicas plenas invectivis contra fidem catholicam et etiam dicunt: Hoc mihi non nocet — iam frigidi facti sunt in fide; obligationes christifidelium negligunt.

Considera 3° talem periculosam lecturam ad minus *spiritum bonum* in te corrumpere et spiritum mundi tibi inserere, quod maximum damnum est, quia periculum incurris totaliter vocationem tuam amittere, vel saltem non posse fructuose laborare in cura animarum!

III.

Considera 1° medium efficacissimum ad castitatem servandam clerico esse *orationem ferventem* seu frequentem conversationem cum Deo, praesertim cum *Iesu Eucharistico*. « Dic mihi, quocum conversaris et ego dico tibi, quis sis », sonat proverbium, quod etiam quoad conversationem cum Deo applicari potest. Clericus, qui quotidie cum Iesu Eucharistico conversatur, in spiritu eius confirmatur. Quapropter saepe coram Iesu Eucharistico personaliter appareas, cum Ipso omnia negotia, curas, indigentias, obligationes conferas, ab Ipso auxilia gratiae expetas, Eique omnia committas: et bonus clericus evades.

Considera 2° non sufficere ad hoc, solum ter quaterque in die visitare Sanctissimum, sed necessarium esse, ut *interdiu* te occu-

peris cum Iesu Eucharistico, dum scilicet studes scientiis sacris, scribis praedicationes, instruis pueros vel quocumque labore te occupaveris. Si anima tua ita intime coniuncta est cum Salvatore tuo, quomodo, dum ad impudica incitaveris, peccare posses?

Considera 3° hanc conversationem cum Iesu Eucharistico, ut ita dicam, fere continuam esse *medium efficacissimum*, quia super te effundit thesaurum gratiarum, spiritum Iesu communicat, gaudium de vocatione tua sacra in te conservat, ita ut undequaque te adiuvet et muniat ad castitatem promissam servandam. — Gravissima est materia huius meditationis; ne discedas, quin optima proposita conceperis de inutili conversatione cum feminis et periculosa lectura vitanda et de conversatione cum Iesu Eucharistico frequentanda.

33. — De habitu clericali.

Vestem habes aliquam, carissime frater, sacram et liturgicam, qua uteris in sacris functionibus. Quomodo eam magnifacere debeas, iam scis. Sed aliam vestem in vita tua extraliturgica portare teneris, qua clericus vel religiosus, quae est habitus clericalis vel ordinis tui. Vult enim Ecclesia ministros vestitu etiam exteriore a laicis distinctos esse, quem vestitum clericus portare debet ratione *tutelae, distinctionis* et *reverentiae*.

I.

Considera 1° habitum religiosum sive clericalem a clerico deferri ratione *tutelae*. Quamvis enim monachum non faciat habitus nec sacerdotem vestis clericalis, tamen habitus clericum tuetur eumque defendit adversus tentationes ab exterioribus, praesertim mulieribus. Quamdiu clericus habitum clericalem defert, quasi inaccessibilis in hoc puncto videtur nullaque persona laicalis facile audet clericum ad aliquid seducere, quo status eius sacer laedatur.

Considera 2° habitum clericalem vel religiosum etiam *ipsi clerico* forte praesidium esse, dum scilicet se ipsum tali veste indutum conspicit. A multis periculosis, illicitis, indecentibus retrahitur, quia habitum clericalem defert, ne aliis scandalum praebeat. Quod tamen non esset, si incederet veste saeculari.

Considera 3° praesertim *habitum tuum* religiosum, carissime frater, tibi esse firmum praesidium, qui ratione *albi* coloris te admonet de vita pura et casta, ratione coloris *nigri* de poenitentia agenda. Sed quid dicam de scapulari, quod praesidii continui Matris tuae caelestis certissimum signum est et pignus, imprimis, si illud digne et fideliter cum debita reverentia et devotione portes? Quapropter ne deponas habitum tuum nisi ex urgentissima causa et licentia obtenta a superioribus tuis.

II.

Considera 1° habitum religiosum vel clericalem etiam praescribi clerico ratione *distinctionis* seu excellentiae prae laicis. Vestis honorifica est (ne obliviscaris huius), quae cum honore deferri debet. Quamvis simplex sit quoad formam exteriorem et saeculari decore careat, tamen etiam elegans est et per omnia saecula et ubique terrarum moderna et optime conveniens, utpote vestis Regis caelorum et saeculorum. Et tamen, proh dolor! sunt clerici, quos pudeat talem vestem in vita publica deferre, imo quaecumque alia signa sui status clericalis, utpote v. gr. tonsuram, collare, faciem rasam! Quaero a te, habentne illi vel minimum de spiritu clericali, qui nec vestem clericalem deferre volunt? Nonne erubescunt tales hoc modo agendi ipsum Salvatorem coram hominibus? (Luc. 9, 26).

Considera 2° si spiritu Iesu agaris, te semper *gaudere* de hoc habitu religioso sic excellenti et distinctivo. Est enim vestis, in qua places Summo Regi, qui vult etiam quoad exteriora famulos suos distingui a saecularibus. Hac veste te agnoscit suum fidelem ministrum et acceptus semper eris in conspectu eius.

Considera 3° *elegantiam habitus tui* religiosi — et simile dicendum de habitu clerici saecularis — quam multi saeculares desideraverunt sed non obtinuerunt. Vestis enim

fratris praedicatoris non solum oculos excitat fidelium, ubicumque apparet, sed etiam eum acceptabilem reddit, ita ut ubique libenter videatur et audiatur et sic inter fideles fructuose laborare possit, etiam *solo exemplo*, si sciat honeste et modeste habitu suo incedere. Sed si habitu tuo religioso deposito inter saeculares appareas (absque necessitate) nonne te aliquo modo despiciant, quia erubueris vestem tuam sacram?

III.

Considera 1° habitum religiosum vel clericalem clericis ab Ecclesia praescribi etiam ratione *reverentiae* exhibendae eis a fidelibus. Sed quomodo possit clericus honorari, nisi exterius clericus appareat, praesertim veste sua? Haec enim vestis — ceteris paribus — speciem quamdam sanctitatis et reverentiae effundit super personam clerici, ex qua ei tunc a fidelibus reverentia exhibetur.

Considera 2° hanc reverentiam a fidelibus exhibendam eo *maiorem* esse, quo clericus ipse seipsum plus existimaverit. Sunt clerici, qui seipsos in reverentia habent, dum alii, non obstante veste sacra, quam deferunt, inter saeculares se viles faciunt, qui tunc mirari non debent, si minus a saecularibus honorentur. Quapropter aestima te ipsum veste tua sacra et certe alii satis te honorabunt.

Considera 3° *a te*, carissime frater, reverendam esse vestem tuam sacram. Benedicta

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY
est a die professionis tuae — simile posset dici de habitu clerici saecularis — ideo non solum sacra in se sed etiam ex benedictione Ecclesiae. Ne induas nec deponas eam absque devoto osculo et gratiarum actione erga Deum, qui tibi indigno eam portandam dedit nec hucusque tibi abstulit. — Qualia proposita circa habitum religiosum concipies?

34. — Meditatio finalis.

Exercitiis his feliciter peractis, circa tria forsan, carissime frater, rectam opinionem acquisieris; erunt simul etiam gravissimae obligationes tuae, si ordinem subdiaconatus susceperis, scilicet circa *ministerium ad altare*, *castitatem* perfecte observandam, ad quam ex duplici vinculo, si religiosus votorum solemnium sis, professionis solemnis et ordinis sacri obligaberis et *breviarium* recitandum, ad quod etiam ex duplici eodem vinculo teneberis. Vincula undequaque et quidem gravia: incumbas, ut fiant vincula suavia et trahentia te ad caelestem gloriam.

Punctum Unicum

Considera 1° ministerium sacrum semper cum *summa reverentia* esse implendum. Deo inservis ad altare, dignissimo sacrificio assistis et cooperaris, quod summus sacerdos

Iesus Christus Deo Patri per manus sacerdotis celebrantis offert circumdatus aula caelesti. Si hoc consideres, certe semper cum timore et tremore huic sacrificio cooperaberis, reiectis omnibus cogitationibus profanis et mundanis. Nec *rubricas* negligas, vel parvipendas; sunt enim ceremoniae aulae caelestis, quibus Ecclesia Deum Omnipotentem honorare vult. Ex accurata observantia harum rubricarum ex parte totius cleri exsurgit pulchritudo cultus catholici. Super omnia diligas rubricas ordinis nostri, quae certe quoad solemnem celebrationem missae specialem decorem in se continent.

Considera 2° te professione solemni, si religiosus sis, et deinceps ordine subdiaconatus dupliciter esse Deo consecratum et ideo ad perfectissimam observantiam castitatis obligari. Stude, ut agas in hoc puncto *vitam angelicam,* quantum possibile est humanae naturae fragili. Attamen nollem te circa hanc materiam anxium fieri; sufficit, si motus concupiscentiae ignores et contemnas et cor tuum fixum habeas in caelo Deo quantum potes coniunctum. Praesertim huic coniunctioni cordis tui cum Deo incumbe et de pravis motibus sensualitatis tibi nihil timendum est.

Considera 3° te quatenus es subdiaconus et religiosus professus, oportere esse *virum orationis,* qui ad orationem tenetur non solum ut homo privatus, sed potius ut membrum speciale et distinctivum Ecclesiae, ut persona publica nomine et auctoritate Ecclesiae pr

fidelibus loco et in favorem ipsorum. Praesertim ad *breviarium* gravissime obligaris et quidem ex iustitia; hoc pensum canonicum quotidie recitabis devote et ferventer; sic tibi copiosam benedictionem caelestem importabit. Ne obliviscaris illius principii: *Tantum vales, quantum oras!* — Quaenam proposita circa haec tria concipies? — Gratias maximas referas hodie pro exercitiis spiritualibus et pro beneficiis a Deo in ipsis obtentis — praesertim pro sancto ordine subdiaconatus!

DE ORDINE DIACONATUS

35. — Meditatio introductoria.

Cum in Ecclesia primitiva prima vice quaestio esset de officio *Diaconorum* instituendo, quaerebantur, uti dicitur in Actibus Apostolorum, « viri boni testimonii, pleni Spiritu Sancto et sapientia » (*Act.* 6, 23). Sed tales etiam nostro tempore pro tanto officio requiruntur, imo hodie magis sunt necessarii, cum diaconi post breve tempus suscepturi sint sacrum presbyteratus ordinem. Vides, carissime frater, quam necessaria sit fidelissima praeparatio ad onus diaconii suscipiendum, ut etiam tu sis vir boni testimonii ex una parte,

ed ex alia parte non minus plenus Spiritu Sancto et sapientia. Et huic fini inserviunt haec praevia exercitia spiritualia.

I.

Considera 1° signum characteristicum ordinis diaconatus esse *acceptionem Spiritus Sancti*, et quidem, ut ita dicam, maiori quadam plenitudine ac in sacramento confirmationis. Qui certe Spiritus Sanctus non datur nec accipitur absque praevia praeparatione.

Considera 2° huic praeparationi imprimis servere *recollectionem spiritus*, quatenus te retrahas a consuetis negotiis, studiis, oblectamentis, ut unice intendere possis animae tuae, quae si fuerit satis purgata ab omnibus mundanis, recipiet plenitudinem Spiritus Sancti.

Considera 3° praedictae collectioni coniungendas esse *assiduas preces*. « Petite et accipietis » (Ioan. 16, 24). Si parum petieris, parum accipies! Quapropter multum non multa pete et multum accipies de donis Spiritus Sancti.

II.

Considera 1° *ad quid voceris* « Cooperatores estis et comministri corporis et sanguinis Christi » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione diaconi). Intelligis, quae legis? Quanta dignitas! Cooperari nunc te oportebit ad ss. Sacramentum conficiendum et ad sacrificium eucharisticum

offerendum. Quapropter ad cooperandum in hoc divino officio ab episcopo consecraberis.

Considera 2° *hanc dignitatem etiam accuratissimam exigere praeparationem* ex parte tua, ut ministerium tibi conferendum rite et digne supplere possis. Num absque tali praeparatione hoc munus tibi quasi arripere velles?

Considera 3° *quid hucusque feceris*, ut digne ad serviendum altari accedere possis? Quomodo ministeria iam collata qua minorista et subdiaconus impleveris? Num cum fervore diligentia, zelo? Si minus diligens subdiaconus fueris, certe nunc bonus diaconus fieri incipias!

36. — De sancto Diaconatus ordine.

Diaconatus est primus hierarchiae ordo est ordo sacramentalis et, ut s. Ignatius M. iam dicit, divinae institutionis. Quanta dignitas, quanta gratia! Magnitudo huius ordinis maxime apparet, si, carissime frater perpendas, ad quasnam functiones diaconatus ordine suscepto admittaris. Dicit enim episcopus ordinator ad diaconos: « Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione diaconi). Haec singula perpendas, quaeso, accurate, ut digne deinceps exsequi possis sacrum ministerium tuum.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

I.

Considera 1° diaconum vocari ad *ministe-ium altaris*. Ipsius est cooperari ad ss. Sacra-ientum conficiendum, ad sacrificium eucha-isticum offerendum, et quidem qua minister acerdotis. Vere actus talis summe latreu-icus, quasi infinitus est. « Reges et prophe-ae voluerunt videre, quae vos videtis, dixit alvator, et non potuerunt » (Luc. 10, 24) t tu ad tantam dignitatem nunc elevaris, t non solum e longe aspicere possis ad my-teria, quae in altari conficiuntur, sed etiam, uod altius est, cooperari tibi licebit ad tanta ysteria!

Considera 2° maximam *puritatem animae t corporis ad haec tanta mysteria requiri.* Dixi « puritatem animae », scilicet ab omni eccato tum gravi tum levi, quia tangere debes urissimum corpus Christi, Dei et Salvatoris ui in ipso sacrificio missae et etiam extra llud in sacris vasis contentum, imo casu ecessitatis et manibus tuis contrectare por-igendo illud fidelibus in s. communione! Non remeres et formidares, si esses peccatis ob-oxius? Sed et puritas corporis requiritur a e, scilicet in facie, manibus, vestimentis, pe-ibus, brevi in toto corpore.

Considera 3° diaconum excellere debere uadam etiam *gravitate et maturitate exte-iori*, uti decet viros, qui quotidie familiari uadam amicitia cum summo Rege conver-

santur. Nihil levitatis in te appareat, quo alios offendere possis. Ne omittas circa hoc quaedam firmiter tibi proponere eaque litteris consignare, ut ea deinceps saepius repetere et profundius tibi inculcare possis!

II.

Considera 1° diaconum esse etiam ministrum *baptismi solemnis*, licet extraordinarium, scilicet ex licentia et mandato parochi (*Cod. iur. can.* c. 741). Intelligis, quid haec specialis potestas significet? Significat facere eadem solemnitate ac sacerdos filios Dei e servis diaboli, propagare regnum Dei, creare cives regni caelestis, fratres in Christo, sanctos et electos in caelo, qui si mox post baptismum decesserint, intercessores nostri erunt apud Patrem Caelestem, protectores et advocati in caelo! Estne parva talis potestas?

Considera 2° diaconum ministrando baptismum puerum liberare a servitute diaboli; quapropter nec ipse debet esse peccatis suis *servus diaboli*. Utique sacramenta novae legis operantur ex seipsis, ex opere operato abstrahendo a dignitate collatoris; sed qualis esset disconvenientia, si tu expellere velles in baptismo diabolum, cum ipse esses servus eius!

Considera 3° baptismum esse sacramentum illuminationis, quatenus *lumen Christi* in anima pueri accenditur baptizati; quod etiam significatur per candelam lucentem. Hanc illuminationem internam causat diaconus bapti-

zans. Nonne a fortiori ipse debet esse « lux in Domino » (*ad Eph.* 5, 8) et fidelibus praelucere non solum pulchris verbis sed etiam factis? Qualis ignominia ipsi, si minister Christi, qui aliis lux esse deberet, pravo exemplo eos seduceret!

III.

Considera 1° tertium officium diaconi esse *praedicare*, id est Verbum Dei fidelibus annuntiare ex nutu episcopi vel parochi. Est ergo praeco verbi divini! Perpendas tenorem huius maximi et gravissimi officii! Oportet diaconum profundissima mysteria fidei fidelibus exponere eisque viam salutis ostendere, observationem mandatorum Dei ipsis inculcare, peccatores arguere, ad poenitentiam excitare, consolari afflictos, humilitate imbuere superbos etc.

Considera 2° ut has obligationes omnes adamussim explere possit, diaconum oportere die ac nocte *meditari in lege Domini* (Ps. 1, *v.* 2), id est studiis sacris incumbere, quod maximi momenti est pro clericis tum saecularibus tum regularibus. Hoc meditari in lege Domini complectitur non solum omnia *studia sacra* seu theologica, quae etiam nec qua sacerdos negligere debet, sed etiam *meditationem* quotidianam in sensu stricto, qua sibi tum verum spiritum Christi acquirit, tum profundiorem intelligentiam omnium dogmatum fidei nostrae. Quomodo secus praedicare posset dia-

conus, si ipse nesciret praedicanda? Num sufficeret e memoria quaedam ex ambone recitare, quae in libris continentur? Vivum debet esse os Domini, secus inutile esset eius organum.

Considera 3o *conversationem* diaconi respondere debere doctrinis, quas praedicat, ne dum aliis praedicaverit, ipse reprobus efficiatur (I *Cor.* 9, 27); nec sit sicut aes sonans aut cymbalum tinniens (I *Cor.* 13, 1), si factis contradicat verbis prolatis. Videsne, carissime frater, quod revera nunc ad magna voceris, et quod gravissimae sunt obligationes, si velis esse fidelis servus ac bonus, imo optimus diaconus?

Examina, quasnam qualitates hucusque tibi iam acquisiveris ad accurate implendum magnum ministerium tuum, quid tibi adhuc desit, et proponas tibi, quaenam facere velis, ut sancte ministres ad altare, rite baptizes, bene et cum successu praedices.

37. — Diaconus - minister.

Diaconatus est ministerium, diaconus igitur minister est. Sed fidelis quis inveniatur (I *Cor.* 4, 2) minister oportet, iuxta verbum Apostoli. « Ne autem vituperetur ministerium nostrum » (cfr. II *Cor.* 6, 3), opus est ut diaconus nemini ad hoc ansam vel occasionem praebeat. Ad diaconatum post aliquot

dies elevandus considera te igitur, carissime frater, ministrum esse debere; ministrum dico *Dei, episcopi* vel sacerdotis, et *populi*. Exhibeas te igitur ministrum, si officium tuum insigne omni ex parte explere velis; etiam qua sacerdos ne desinas esse ministrum. Sed qualem? Videas!

I.

Considera 1° diaconum *ministrum Dei* esse, summi Regis, ideoque ipsum quotidie fungi ministerio non terrestri, sed caelesti, sed divino. Quidquid cogitat, loquitur, agit, si pugnat et patitur, haec omnia sunt eius qua ministri Dei. Quanti valoris igitur erunt omnes actus eius, etiam minimi et vilissimi, praesertim cum tu, carissime frater, sis diaconus regularis, duplici vinculo Deo ligatus, sacratus et carus!

Considera 2° et tibi Deum aliquando dicere: *Redde rationem!* (Luc. 16, 26). Utique rationem reddere debebis, quomodo munere tuo functus fueris, quales fructus feceris ex omnibus beneficiis largiter tibi in ordine sacro collatis; strictissimam rationem reddere debebis, num animas tibi concreditas salvas feceris vel perdideris. Videas, quomodo fidelis minister Dei, etiam postea in sacerdotio, inveniaris! Vae tibi, si aliis occasio et causa ruinae fueris spiritualis!

Considera 3° te semper *ministrum inutilem* Dei permansurum, quoadusque vixeris. Deus

te non indiget, nunquam indigebit, nec tuo ministerio. Alios enim in locum tuum vocare poterit, meliores, ferventiores te. Quapropter semper in sincera humilitate confitere cum omnibus fratribus: « Servi inutiles sumus, fecimus quod iussisti, Domine » (Luc. 17, 10). Caveas tibi ab omni elatione, arrogantia, superbia, si non vis fieri servus totaliter inutilis.

II.

Considera 1° diaconum esse etiam ministrum *episcopi* (vel sacerdotis), cui imprimis debet *famulatum* non solum ad altare praestare, sed etiam alias, si ad hoc vocetur. Quia ad hoc officium diaconatus, uti ex nomine et historia patet, in Ecclesia est institutum. Felix eris, si in hoc famulatu semper servus bonus et fidelis fueris.

Considera 2° diaconum episcopo (vel sacerdoti) etiam debere *reverentiam* in omnibus. Est enim episcopus (vel sacerdos) vicarius Christi, cuius personam et officium gerit; quapropter reverentia maxima est ei attribuenda ubique et semper, non solum quando mysteria celebrat ad altare, sed etiam in conversatione quotidiana.

Considera 3° diaconum, utpote ministrum episcopi, ei maxime et ante omnia debere *obedientiam,* quamvis eam non expresse promiserit in sua ordinatione sicut sacerdos. Ad ministerium enim assumptus es, carissime

frater, in ordine diaconatus, ut sis coadiutor episcopi (vel sacerdotis); quapropter exsequi debes, quaecumque tibi ab ipsis mandantur. Noli vias proprias sequi, multo minus resistere eorum mandatis, sicut forsan hodie vides quosdam facere, qui certe spiritu Christi non imbuti, ruinam patiuntur.

III.

Considera 1° diaconum similiter etiam esse *ministrum populi,* in cuius gratiam ad dignitatem diaconatus est elevatus. Quod s. Paulus dicit de episcopo: « Omnis pontifex ex hominibus assumptus *pro hominibus* constituitur in iis, quae sunt ad Deum » (*ad Hebr.* 5, 1) valet de omnibus ministris Ecclesiae. Populo igitur debes servire in munere tuo, etiam postea qua sacerdos, quapropter populo donare tempus, vires, scientiam et quaecumque alia; nec debes proprium commodum, propriam devotionem quaerere, sed semper paratus esse ad servitium, ut revera dicaris et sis, quod esse debes: minister populi. Tunc etiam ius habes ad illud apostolicum: « Qui altari deserviunt, de altari participant » (I *Cor.* 9, 13). Si populo servieris in his, quae sunt ad Deum, et populus tibi praestabit, quae sunt necessaria ad vitam tuam conservandam.

Considera 2° diaconum debere omnibus, utpote ministrum omnium, *amorem benevolentiae*

exhibere praesertim pauperibus; olet, valde olet, si de ministro Ecclesiae dicitur, quod sit amicus divitum, nobilium, principum, quod tamen negligat vel parvi faciat pauperes, eo quod non habent, quo ipsum sibi obligare possint. In Ecclesia primaeva diaconorum erat curare de pauperibus; hac cura valde excelluit s. Laurentius. Pauperum noli igitur oblivisci etiam postea qua sacerdos, concionator, confessarius, missionarius, parochus vel quidquid tunc fueris. Valet enim unum « retribuat tibi Deus hoc » pauperis plus quam thesauri divitum tibi oblati. Ceterum et nos regulares pauperes sumus; quapropter speciali vinculo ad pauperes obligamur.

Considera 3o diaconum vel ministrum Christi, suo munere, quo populo christiano semper ad ministrandum paratus est, infinita *praemia mereri*. Licet molestum sit, semper ad dispositionem aliorum esse paratum, tamen maxime est meritorium. Si Christus praemiabitur cuilibet fideli potum simplicem aquae frigidae (cfr. Matth. 10, 42), qualem mercedem tu quondam recipies, si per decem, triginta, quinquaginta et plus annos Deo servieris in tuis fratribus propter Deum! Quaenam igitur propones, ut fias dignus et idoneus minister Dei, episcopi et populi?

38. — « Accipe Spiritum Sanctum ad robur ».

Diaconatus, sacerdotium et episcopatus sunt illi tres ordines hierarchici, in quibus candidatis confertur speciali modo specialique ritu Spiritus Sanctus ad officium cuique ordini proprium administrandum. Aliter tamen et aliter. Diaconatum nunc recepturus, carissime frater, etiam tibi conferetur Spiritus Sanctus, dum episcopus imponendo dexteram suam super caput tuum verba profert: « Accipe Spiritum Sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus eius » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione diaconi). Perpendas nunc singula verba huius formulae, ut magni habeas gratiam, quam es recepturus.

I.

Considera 1° te recepturum cum ordine diaconatus prima vice *quamdam plenitudinem Spiritus Sancti*, qui proinde in te deinceps inhabitabit sicut in organo vel habitaculo suo. Maiori iure quam hucusque diceris templum Spiritus Sancti. Nonne templum hoc erit tibi ornandum, postquam fuerit purgatum? nonne erit tibi accurata diligentia curandum, ne maculetur nec minima spurcitia?

Considera 2° Spiritum Sanctum ritu solemni conferri animae tuae cum *augmentatione gratiae* habitualis, abundantioribus gra-

tiis actualibus, donis suis septiformibus, sicut dicitur in theologia dogmatica; hoc enim significat accipere Spiritum Sanctum. Qui enim accipit officium quoddam, accipit etiam gratias nedum sufficientes et necessarias, imo abundantes, ut officio suo rite digneque fungi possit. Accedit, quod anima rite debeat esse disposita et ornata, ut digne officium impositum explere possit. Perpendas igitur, non esse inanem ceremoniam, si tibi in ordine diaconatus confertur Spiritus Sanctus cum omnibus gratiis et donis, ita, ut vere quandam plenitudinem accipias Spiritus Sancti.

Considera 3° *gratias maximas referre* debere Spiritui Sancto, quod ipse dignetur non solum visitare transeunter animam tuam, sed etiam permanenter in ea inhabitare imprimendo ei signaculum seu characterem inextinguibilem. Caveas, ne offendas eum peccando! Adimple adamussim singula officia ordinis tui; hoc modo certe optimas gratiarum actiones referes!

II.

Considera 1° Spiritum Sanctum te recepturum *ad robur*. Maxima dignitas diaconi, sed maxima etiam onera officiaque! Robore indiges, quapropter accipis Spiritum Sanctum ad robur, ut animo forti et invincibili subire possis haec maxima onera. Et qualia? Putasne parvum esse ministrare ad altare, recitare horas canonicas attente et devote, vota

tua qua clericus et religiosus fideliter implere, aliis praesertim laicis bono exemplo praelucere? « Corpus animale aggravat animam » (*Sap.* 9, 15) etiam in te, carissime frater, etiam ordinibus sacris receptis. Indigebis igitur robore Spiritus Sancti; videas, ut multum eius recipias!

Considera 2° te robore indigere, ut strenue *pugnare* possis pro Domino Deo tuo, cui servis. Et haec pugna hodie omnibus clericis imminet, cum numerus hostium internorum et externorum ubique terrarum creverit crescetque per dies. « Ne formides eos » etiam tibi dicitur sicut olim Ieremiae prophetae, « ego enim protegam te » (Ier. 1, 16). Quapropter robore Spiritus Sancti accepto etiam et tu esto liber ab omni timore servili et humano, « civitas munita, columna ferrea, murus aereus. Bellabunt adversum te, quia minister Christi es, sed non praevalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te » (Ibid. 1, 18, 19).

Considera 3° te etiam *multa pati* oportere, cum minister Christi sis, quapropter accepisti Spiritum Sanctum ad robur. « Sed confidite, ego vici mundum » (Ioan. 16, 33). Malus esses servus Christi, si alia via incedere velles, quam illa est qua incedebat Christus rex tuus. Et si aspiras sacerdotium, memento Christum esse sacerdotem, qui seipsum propria morte Patri Caelesti obtulit. Quapropter libenter ambula in via crucis; ne timeas tribulationes, quae te Christo conformant.

III.

Considera 1° specialiter mentionem alicuius fieri, propter quem accipis Spiritum Sanctum ad robur, scilicet *ad resistendum diabolo et tentationibus eius*. Qui Christo serviunt, a diabolo impugnantur. Quomodo autem diabolo sit resistendum, ministri Christi κατ' ἐξοχήν ostendere debent ceteris fidelibus, et quia super candelabrum positi, etiam vehementius impugnantur. Putasne frustra dari Spiritum Sanctum diacono ad resistendum diabolo? Minime, quia vehementer impugnatur a diabolo, ideo Spiritum Sanctum recipit ad robur.

Considera 2° *nullum statum*, nec sanctissimum, *liberum esse a tentationibus* diaboli. Etiam diaconos, imo et sacerdotes et episcopos diabolus vehementer impugnat, quamvis sint votis solemnibus Deo adstricti et culmen sanctitatis attigerint. Sed tentari malum non est; tentationibus enim anima purgatur et nobilitatur sicut aurum igni. Nec in sacra ordinatione candidatis promittitur libertas a pugnis spiritualibus et tentationibus, bene autem datur Spiritus Sanctus, sicut in diaconatu, ad robur, ut victoriose resistere possint diabolo et tentationibus eius.

Considera 3° *Spiritum Sanctum dari* diacono ad resistendum diabolo non solum transeunter sed *permanenter*, usque ad finem vitae suae. Ideo etiam postea qua sacerdos semper sentiet se Spiritum Sanctum accepisse ad robur, ita

ut, si noluerit peccare, semper resistere possit victoriose diabolo et tentationibus eius. Intelligis nunc bene, carissime frater, quomodo Deus servum suum ad diaconatum electum sufficienter instruat supernaturali robore non solum, ut omnia munia sua explere possit fideliter, sed etiam ut possit victoriose resistere diabolo omnibusque eius tentationibus? Quid nunc tibi propones?

39. — De veste propria Diaconi.

Vestis propria et distinctiva diaconi est *stola*, sicut subdiaconi manipulus, quam propterea portare debet quoties ministraturus accedit ad altare. Dum hanc vestem humeris imponit, orare debet sicut et sacerdos: « Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi parentis, et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum » (Oratio ab Ecclesia praescripta). Ut hanc vestem dignus tibi induas dignusque portes, instituas nunc meditationem de praedictis verbis, quae sunt profundioris sensus.

I.

Considera 1° diaconum imprimis petere, ut induendo stolam, Dominus ei reddat *vestem immortalitatis* amissam peccato originali. Qualis est illa vestis immortalitatis? Est vestis

originalis iustitiae ac innocentiae, qua ornatus securus poterit accedere ad ministerium sacrum altaris. Utique innocens ac iustus diaconus esse debet, quotiescumque Domino vult ministrare in sacrificio missae. Hanc vestem iustitiae originalis perdidit in peccato Adae, forsan etiam tot propriis peccatis; sed tamen nunc ministraturus ad altare, ornatus ea esse debet.

Considera 2° hanc vestem iustitiae originalis ideo valde necessariam esse, quia diaconus ministrando ad altare *magna*, imo maxima est *acturus*. Quomodo veste communi vel quotidiana, veste sordida vellet accedere ad altare? Nonne esset ei timendus furor Domini irascentis, qui sibi indigno servo irridere certe non sinet?

Considera 3° hanc vestem immortalitatis symbolum esse interioris puritatis, qua diaconus, et sacerdos, non solum in actuali ministerio ornatus esse debet, sed etiam extra illud existens. Minister enim Dei est semper et ubique, non tantum quando actualiter in ministerio Dei occupatur. Studeas igitur huic interiori puritati, ut semper paratus sis hanc vestem induendi absque tremore coram summo iudice!

II.

Considera 1° diaconum in oratione praedicta confiteri *suam indignitatem* dicendo: « Et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum

mysterium ». Indignus es, noli huius oblivisci, prorsus indignus ad huic inscrutabili mysterio cooperandum. Indignus si considéres teipsum, tuam peccaminosam naturam. Admitteris enim ad cooperandum tanto mysterio, a quo multae sanctae animae excluduntur! Sed tu homunculus, fragilis, imperfectus, defectuosus, distractus, negligens admitteris, non semel, sed saepe, semper!

Considera 2° hanc tuam indignitatem esse eo maiorem, si praesertim perpendis, te *non tuis meritis* ad tali mysterio cooperandum vocari. Quapropter cantat diaconus in benedictione cerei paschalis perpulchre: « Qui me non meis meritis intra Levitarum numerum dignatus es aggregare ». Quid etiam potuisti facere, ut tibi talem vocationem merueris! Quapropter sincere confitearis tuam omnimodam indignitatem dicendo: Utique prorsus indignus accedo, indignus ministerio ad altare. Heu, inveniuntur diaconi et sacerdotes, qui ex quadam pigritia nolunt ministrare ad altare, vel qui ibi assistunt mere mechanice, ut instrumenta mortua, exsequendo suum sacrum ministerium sicuti fabri exercendo suam vilem artem! Quomodo hoc esset deplorandum, si etiam tu quondam talibus negligentibus diaconis esses adnumerandus!

Considera 3° tuam indignitatem ad ministerium altaris *maximam esse propter tua peccata* et tamen his non obstantibus Deus te elegit ad tam insigne munus! Perpendas consodales tuos, quos Deus in mundo reliquit!

Virtutibus forsan maioribus excellent, Deo adhaerent, peccata devitant, orationibus incumbunt plus te et tamen te, qui multum Deum offendisti etiam in statu religioso et in ordinibus minoribus constitutus, Deus vocavit usque ad diaconatum, quem mox sequetur presbyteratus! Intelligis tuam omnimodam indignitatem? Utinam numquam usque ad finem vitae tuae obliviscereris, quam indignus sis hoc insigni ministerio!

III.

Considera 1° diaconum ultimo in praedicta oratione petere: « merear tamen gaudium sempiternum ». Vult s. Ecclesia, ut diaconus induendo stolam, oculos dirigat ad *regnum caeleste*, cuius post hanc vitam et ministeria praestita particeps erit, ut obliviscatur gaudiorum terrestrium recordando caelestium. Et hoc videtur bene ordinatum ab Ecclesia, quia ministri Christi gaudiis huius mundi renuntiare, tribulationes maximas pati, labores innumeros subire debent, pro quibus omnibus olim accipient praemium immarcescibile.

Considera 2° diaconum tale gaudium vel praemium immarcescibile sibi *mereri* oportere, mereri dico, sensu stricto. Etiam ipsi dicitur ex ore Christi: « Regnum caelorum vim patitur » (Matth. 11, 12). Et aliud: « Qui non odit... adhuc et animam suam, non potest meus esse discipulus » (Luc. 14, 26). Discas etiam et tu, carissime frater, qua

diaconus mereri regnum caeleste laborando, patiendo, renuntiando!

Considera 3o diaconum maximam habere *spem* gaudium sibi merendi sempiternum, cum frequenter ad altare eius ministrat, qui eum aliquando remunerabit, utique si ei fideliter servierit. Si igitur etiam postea qua sacerdos quotidie petierit de gaudio sempiterno sibi largiendo, certe obtinebit illud post tot ministeria fideliter praestita. Quaenam igitur tibi propones?

40. — S. Stephanus exemplar Diaconorum.

Expedit prae oculis habere exemplaria virtutum; hoc etiam valet diaconis, cuius officium in ritu ordinationis dicitur « onus diaconii », procul dubio, quia multas annexas habet difficultates et obligationes. Primum et maximum exemplar diaconorum est sanctus Stephanus, protomartyr et protodiaconus, cuius laus celebratur in Actibus Apostolorum, ubi s. Lucas de eo refert: « Stephanus, plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo... non poterant resistere sapientiae et Spiritui, qui loquebatur... viderunt faciem eius tamquam faciem angeli... cum esset pleno Spiritu Sancto etc. » (*Act.* c. 6, 8 sqq.). Secundum eius exemplum, carissime frater, conare, ut et tu fias plenus fortitudine, plenus gratia, plenus caritate.

I.

Considera 1° s. Stephanum plenum fuisse *fortitudine*, illo scilicet dono Spiritus Sancti, quo insigni magnanimitate fidem Christi defendit adversus omnes adversarios usque ad effusionem sanguinis, ita scilicet, ut externe devictus interne victor existeret merendo propria sua morte conversionem magni apostoli s. Pauli. Tali fortitudine invincibili instructus debet esse diaconus seu minister Christi.

Considera 2° etiam tibi *imminere persecutiones* ex parte adversariorum fidei nostrae cum et tu mittaris « sicut ovis in medio luporum » (Matth. 10, 16); stridebunt dentibus in te, continebunt aures suas, ne audiant quae profers, lapidabunt te, etsi non lapidibus sanguisugae persecutionis, certe lapidibus contumeliae et malevolae detractionis. Quam necessarium erit tibi igitur fortitudinis donum!

Considera 3° quid sis facturus, si Dominus a te peteret *sacrificium* non solum commoditatis, felicitatis, sed etiam libertatis vel sanguinis tui? Forsan dices: Domine, nimis infirmus, imbecillis sum, timeo ne in tali discrimine vitae permaneam constanter. Nil timeas carissime frater, dabitur enim Spiritus Sanctus in ordinatione diaconatus ad robur, quem si enixe et frequenter oraveris tibi assistet ut etiam secundum exempla s. Stephani et aliorum sanctorum Martyrum persistere possis in confessione fidei usque ad mortem! Hunc

igitur Spiritum Sanctum enixe efflagites de dono fortitudinis, ut data occasione strenue certare possis pro Domino, cui servis.

II.

Considera 1° s. Stephanum solum ideo plenum fuisse Spiritu Sancto, quia *plenus erat gratia;* hac gratia suffultus faciliter resistere potuit omnibus impetibus adversariorum fidei. Sed unde erat plenus gratia? Quia vir erat orationis et diuturnae conversationis cum Deo. Precibus enim impetramus gratiam. Quapropter qui multum precibus institerit, magnas gratias recipiet; qui autem parum, fere nihil a Deo obtinebit. Quomodo hucusque orationes frequentasti et qua ratione?

Considera 2° praecipuam imo et praestantissimam orationem esse *orationem mentalem* seu meditationem; ex hac enim haurit minister Christi thesauros scientiae ac sapientiae, quibus in cura animarum eget. Si igitur apostolus esse vis, non autem mercenarius, si cum profectu laborare vis in vinea Domini aliis salutem et benedictionem caelestem conferendo et mediando, meditationi quotidie incumbas necesse est; obligaris ad hoc non solum ratione professionis tuae qua regularis, sed etiam qua minister Christi.

Considera 3° plenum esse vel fieri gratia iuxta exemplum s. Stephani esse *impossibile absque frequenti,* imo continua oratione. Nec lampas lucere potest absque oleo et tu velles

aliis gratias mediare absque oratione? Vides, quam necessaria sit oratio continua et fervens, ut gratiam pro te et tuis obtineas! Possidesne gratias satis? Quid hucusque fecisti ad eas comparandas? Quid deinceps facere velis?

III.

Considera 1° s. Stephanum, quia plenus erat gratia, etiam plenum fuisse *caritate erga proximum*, imo et inimicos suos ideoque et orasse pro ipsis iuxta exemplum magistri divini: « Domine, ne statuas illis hoc peccatum » (*Act.* 7, 59). Hac caritate minister Christi plenus esse debet, nam si Christus omnibus dixit: « Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos et orate pro persequentibus et calumniantibus vos » (Matth. 5, 44) et « In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (Ioan. 13, 35), certe in hac caritate, etiam erga inimicos, ministri Christi *perfecti esse* debent. Quales progressus haec caritas hucusque in te fecit?

Considera 2° solum illam caritatem, quae in proximo et inimico videt animam pretioso sanguine Christi redemptam, *superare posse mundum* eumque ad Deum reducere. Non enim mittimur ad homines amabiles, sed ad peccatores, ad inimicos Dei et nostros, ut ipsis caritatem exhibentes, nostra caritate eos vincere et conciliari possimus. Intelligis magna, imo maxima, scilicet caritatem erga ini-

micos, a te expeti quae praestare nequibis absque ferventi caritate.

Considera 3° hanc caritatem revera dici posse *apostolicam*, sine qua nihil sumus nisi « aes sonans et cymbalum tinniens » (I *Cor.* c. 13, 1). Absque hac apostolica caritate certe non perseverabis in ministerio Christi pleno aerumnis, molestiis, ingratitudinibus; laboribus fractus mox omnia bona proposita dimittes. Acquisisti iam hanc caritatem apostolicam? Et si hucusque nondum possederis, iam urget tempus, ut tibi eam acquiras, ne dicat tibi post ordinationem tuam paterfamilias: « Amice, quomodo huc intrasti absque veste nuptiali? » (Matth. 22, 12). Quomodo potuisti suscipere onus diaconii, ministerium Christi absque caritate apostolica? Vides quam necessarium sit, ut excellas fortitudine, gratia et caritate! Quaenam nunc tibi propones pro futuro?

41. — «Gaudete in Domino».

Clericus indiget sicut ceteri homines recreatione; sed haec recreatio in Domino esse debet, idest conformis mandatis divinis, honesta et modesta sicut decet ministros Dei. Proh dolor! Multi inveniuntur clerici etiam regulares, qui in suis recreationibus excedunt limites modestiae et urbanitatis et in ruinam et scandalum sunt saecularibus, qui propterea

de clericis iudicant: « Sicut iste singularis, ita sunt omnes ». Valde igitur congruum videtur, ut instituas meditationem de recreatione honesta in Domino, ut ex rebus optime perpensis quaedam de hac materia tibi proponas deinde observanda.

I.

Considera 1° illicitam esse quamcumque recreationem, quae *mandatis divinis opponitur*, quae in se peccaminosa est et ad peccata ducit, v. gr. epulis interesse, nimio potui se dedere, pro pecunia chartis ludere, venationi clamorosae interesse etc. Licet enumerata non sint ex se omnia peccaminosa, tamen pericula sunt et occasiones ad peccandum, quapropter caute vitanda.

Considera 2° etiam illa vitanda, quae *statui clericali* non conveniunt uti tabernas visitare, spectaculis assistere etiam kinomatographicis, praesertim si minus honesta proponuntur. Certe gaudia, quae in praedictis forte inveniuntur, non sunt nisi inania, animam e sublimitate eripiunt eamque taedio afficiunt; saltem eam minus idoneam ad spiritualia reddunt. Quomodo posset clericus devote breviarium recitare, sacramenta administrare, benedictionem sacramentalem conferre etc. si plenum sit potibus spirituosis, repletusque rebus mundanis?

Considera 3° vitanda esse a clerico etiam illa gaudia, quae aliis *in scandalum* esse

possunt. Laici omnia vident in clerico, praesertim regulari, scandalizantur in eo, si quaedam in se admittit, quae non redolent spiritum Christi. « Vae autem illi, per quem scandalum venit » (Matth. 18, 7). Quapropter, carissime frater, stricte examines te, si te oportet inter homines conversari eorumque festis assistere, utrum gaudia, quibus frueris, non sint vel possint esse aliis in scandalum et tunc est tibi abstinendum propter Deum!

II.

Considera 1° *gaudere tibi esse in Domino* iuxta praeceptum Apostoli (*Phil.* 4, 4), id est te oportere quaerere *gaudia spiritualia*, praesertim religiosa seu supernaturalia. Haec enim gaudia absque periculo quaeruntur, iisque etiam absque periculo frui poteris, utpote quia clericum nedum ad hanc vilem materiam detrahunt imo ad altius perducunt.

Considera 2° huiusmodi *gaudia spiritualia* ubique ad manus haberi, praesertim si agatur de libris legendis recreandi causa, sive de diversis artibus v. gr. pulsandi aliquod instrumentum musicum, colendi flores, procurandi apes. Potest enim in his mens semper ad Deum divinaque elevari et sic quandam laetitiam spiritualem percipere. Videmus etiam clericos talia exercentes libentius suis negotiis incumbere.

Considera 3° clericum etiam his gaudiis spiritualibus non debere *toto corde adhaerere*,

quia secus etiam ipsa eum sicut omnes affectus inordinati distrahent et impedient. Sed sic eis uti debet tamquam non utatur, sicut de divitiis laicis Apostolus (cfr. I *Cor.* 7, 31) praescribit. In quonam hucusque tu, carissime frater, gaudium tuum posuisti? Fuitne quid materiale vel spirituale? Et si quid spirituale, num forsan ab eo totaliter fuisti absorptus? Cogita nunc de gaudio in Domino, in quonam tu deinceps id quaerere velis! Valde res gravis est pro tua aliorumque salute nec ad tertium punctum progrediaris, antequam has quaestiones sufficienter solvisti, ita ut scias, quomodo tu in futuro velis in Domino gaudere.

III.

Considera 1° clericum praesertim regularem, qui totaliter Dei est, *summum suum gaudium quaerere in Domino ipso,* id est *ante tabernaculum!* Respondeas tibimetipsi: Quid potest te ita laetari, nisi Dominus Deus tuus? Ubi Deus est, ibi est caelum, id est summa omnium gaudiorum. Atqui in tabernaculo habes Deum tuum, caelum tuum. Quid potes igitur quaerere amplius? Utinam intelligeres, quale gaudium profluit ex amicissima conversatione cum Iesu tuo eucharistico! Conare et experieris!

Considera 2° magnum gaudium in Domino provenire clerico etiam *ex studio librorum sacrorum,* theologicorum, asceticorum imo et alias scientificorum. Inveniet et leget ubique

vocem Domini, dilecti sui Iesu, ad quem omnia quae legit, refert. Certe nullum deinceps in eo exsurget desiderium gaudiorum terrestrium — e contra taedium eorum sentiet — gaudebit autem de fructibus materiae lectae, quos congregaverit decursu annorum magnis thesauris collectis.

Considera 3° gaudium etiam non contemnendum clericum haurire ex *deambulatione per campos, agros et silvas*. Ex omnibus enim creaturis loquitur ad animam Deus: ex pulvere, segete, arboribus, caelo, stellis et sole. Loquitur Deus, dico, et quidem de sua sapientia, bonitate, omnipotentia, providentia et gubernatione. Anima sicut aquila ascendit ad sublimia, gaudet de intellectis, beatam se sentit, et libenter obliviscitur terrestrium. Nunc igitur, carissime frater, propone tibi quoad singula, quomodo tu gaudere intendas in Domino qua clericus Deo coniunctus, ut ex hoc gaudio nullum damnum patiaris nec aliis nocumentum inferas. Consigna tibi proposita concepta nec obliviscaris ea singulis mensibus perlegere.

42. — Meditatio finalis.

Ex parte forsan cognovisti, carissime frater, qualem insignem gratiam Deus tibi in ordinatione ad diaconatum conferre velit, insignem gratiam dico, praesertim si tu hunc

ordinem sacrum recipies in statu religioso, id est quadam ut ita dicam speciali qualificatione exornatus. Vinculo, quo iam in hoc casu cum Deo es coniunctus, adhuc arctius et intimius ligabitur. Quibusnam affectibus nunc accedes ad altare ordinem diaconatus recepturus? Puto duplici affectu: *gratiarum actionis* pro tanta gratia et *fervoris* fideliter Deo qua diaconus ministrandi.

I.

Considera 1° ordinationem ad diaconatum *gratiam magnam* esse, tum quia non omnibus Christianis confertur, tum quia ius ad magna accipis, scilicet ministrandi ad altare in celebrando summo sacrificio, si de aliis iuribus et praerogativis diaconi silemus. Hanc gratiam, sicut iam scis, accipies ex mera liberalitate Dei, absque tuis meritis, non obstantibus peccatis tuis. Quid retribues igitur Deo pro omnibus, quae retribuit tibi?

Considera 2° ratione huius magni sacrificii te teneri ad *gratiarum actionem* ferventibus affectibus exprimendam. Ne obliviscaris huius gratiarum actionis! Gratias referas igitur Domino tuo immediate postquam in missa e manu episcopi Corpus Domini recepisti, gratias etiam referas Deo quotidie usque ad ordinationem presbyteratus; tunc enim teneberis ad maiores gratias dicendas pro adhuc maiori beneficio recipiendo.

Considera 3° hanc *gratiarum actionem constare* debere tum verbis tum factis, *verbis* quidem e corde procedentibus, non mechanice prolatis, *factis* autem, quatenus omnia munera ordinis tui recepti fideliter expleas. Hac enim fidelitate maxime probare poteris, quantum aestimaveris ordinem sacrum receptum.

II.

Considera 1° in signum gratitudinis te teneri etiam ad *maximum fervorem* in muneribus sacris diaconatus adimplendis. Quapropter devites quidquid sapit mercenarium, consuetudinem, negligentiam in adimplendo officio tuo adamussim! Deo enim servire teneris, cui etiam optimum non est satis dignum.

Considera 2° ad hunc fervorem pertinere, ut te *fideliter praepares*, quotiescumque in sacrificio missae assistere debeas, praepares dico scilicet quoad rubricas, cantum, missale etc. Ut etiam omnes distractiones pro posse tuo devitans, attendas ad omnia et singula, quae tibi in assistendo incumbunt, sentiendo te indignum, ut assistas tanto sacrificio.

Considera 3° hunc *fervorem te nutrire* oportere, ne decursu temporis extinguatur, repetitis *considerationibus* de dignitate officii tui deque muneribus singulis a te adimplendis, *accurato examine*, quomodo te qua diaconum gesseris, *conterendo etiam de defectibus* in

munere sacro adimplendo commissis. Quid igitur tibi propones pro tempore diaconatus tui? Pauca sufficiant, sed haec tunc adimpleas adamussim (1).

(1) Cum ordo diaconatus frequenter intra semestre post subdiaconatum vel ante presbyteratum conferri solet, et episcopus exercitiorum tempus ordinatione ad diaconatum ad tres dies integros reducere potest iuxta c. 1001, § 1, ideo pro ordinatione ad diaconatum sex tantum exhibentur meditationes.

DE ORDINE PRESBYTERATUS

43. — Meditatio introductoria.

Ad maxima, carissime frater, nunc vocaris, quae nonnisi accuratissima praeparatione praemissa recipere poteris, scilicet ad gratiam s. presbyteratus ordinis. Dignitatem et onus recepturus es, quibus maiora cogitari non possunt. Quapropter, ne mireris, si episcopus ordinans archidiaconum de qualitate ordinandorum interrogans dicit: « Scisne illos dignos esse? » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione presbyteri). Cui interrogationi hic respondet: « Quantum humana fragilitas nosse sinit, et

scio, et testificor — examine strictissimo praemisso — ipsos dignos esse ad huius onus officii », dignos (licet in se prorsus indignos) in quantum habent ordinandi qualitates ab Ecclesia praescriptas et necessarias.

I.

Considera 1° te prorsus *indignum* hac maxima dignitate ex teipso. Non enim ex te *qualitates habes* requisitas ad tantam dignitatem sacerdotalem, cum sis cinis pulvisque, homo fragilis, foeditatibus plenus, dignitas autem sacerdotalis summa, summeque spiritualis, supernaturalis, ad functiones summas destinata. Ad hanc dignitatem comprehendendam deberes intelligere, quid sit Deus, quid significet Deo Optimo Maximo summum sacrificium immolare, a peccatis absolvere etc.

Considera 2° te recepturum dignitatem sacerdotalem nullis *tuis meritis*, sed sola dignatione misericordiae divinae (cfr. In praefatione cerei paschalis). Quibus etiam operibus et meritis potuisses hanc dignitatem consequi! Etiamsi deinceps totum mundum laboribus tuis converteres, purgatorium exhaurires caelumque sanctis impleres, his bonis operibus tamen non posses dignitatem sacerdotalem mereri.

Considera 3° multitudinem *peccatorum* tuorum, quae iam commisisti, et quae adhuc in officio sacerdotali Deo iam nota committes et agnoscas te tali dignitate prorsus indignum,

maxime ideo, quia Deus te his peccatis non obstantibus, tamen ad hoc officium vocat. Humilia te, quantum potueris!

II.

Considera 1° *quid facere velis,* ut saltem aliqualiter in die ordinationis tuae dignus sis dignitate sacerdotali et quidem ut fideliter exsequaris haec spiritualia exercitia ad *perfecte cognoscendam dignitatem sacerdotalem in se et in omnibus suis functionibus,* ut dignus famulus Dei esse possis. Ignoti nulla cupido, nec sacerdos bonus esse poterit, qui non accurate sciverit obligationes omnes status sui sacri.

Considera 2° te nonnisi *corde mundissimo* accedere posse ad hanc dignitatem recipiendam. Quapropter his diebus discute conscientiam tuam, contere, dole de peccatis tuis.

Considera 3° illa *proposita,* quae concipere velis, ut in sacerdotio tuo digne Deo servias. Proposita dico non multa, sed pauca, sed firma praesertim circa sacrificium missae et conversationem sacerdotalem!

44. — De officio et dignitate Sacerdotis.

Ordinandos episcopus sic alloquitur: « Consecrandi, filii dilectissimi, in presbyteratus officium, illud digne suscipere, ac susceptum laudabiliter exsequi studeatis. Sacerdotem enim

oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione presbyteri). Ex his verbis, carissime frater, percipies tum munus tuum supremum, tum obligationes, quas te adimplere oportebit. Multum tibi dabitur, procul dubio, et multum a te requiretur faciendum. Dignitatem tantam accipies non pro te, non in tui ipsius utilitatem, sed in emolumentum aliorum. Studeas functiones status tui sacri optime pernoscere, ut percipias culmen dignitatis tuae futurae.

I.

Considera 1° sublimissimam functionem tuam esse deinceps *offerre* scilicet sacrificium missae incruentum, quo renovatur sacrificium Christi in cruce cruenter oblatum. Personam agis Christi, qui per te Patri Caelesti in altari se immolat. Numquam celebres hoc mysterium absque praevia praeparatione, summa devotione, maxima gratiarum actione. Huic summo operi omnia alia opera tua quotidiana sint subordinata utpote minoris pretii! Et quamvis non obligeris quotidie celebrare hoc mysterium ex iustitia, ne omittas ex caritate erga Christum, teipsum et proximum eius devotissimam celebrationem.

Considera 2° sacrificium missae esse celebrandum cum *strictissima observatione* ceremoniarum et rubricarum. Nemo accedit ad regem, nisi observando leges aulicas, prae-

sertim si quid impetrare velit. Sic et sacerdos ad altare summum opus peragens observare debet illas leges, quas ad digne celebrandum missae sacrificium Ecclesia ex antiquissimis temporibus observandas praescripsit. Sunt enim leges in aula Regis Caelestis usitatae proin sanctae! Unde et episcopus in fine ordinationis dicit: « Quia res, quam tractaturi estis, satis periculosa est, moneo vos, ut diligenter totius Missae ordinem atque Hostiae consecrationem et fractionem ac Communionem, ab aliis iam doctis sacerdotibus discatis, priusquam ad celebrandum missam accedatis » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione presbyteri). Has rubricas saepius perlege, ut accuratissime exsequi possis!

Considera 3° evitandas esse, in celebratione missae praesertim, *omnes distractiones*, quae mentem sacerdotis etiam in sanctissimis consecrationis et communionis momentis molestare conantur. Huic fini optime inservit, si ante missae celebrationem effugias omnes occupationes terrestres, quantum poteris, et unice intendas tali summo sacrificio. Si autem deliqueris, ne omittas dolere de distractionibus commissis post missae celebrationem!

II.

Considera 1° ratione dignitatis secundo loco ponendum esse inter functiones sacerdotales « *praedicare* ». Oportet enim sacerdotem verbum Dei annuntiare hominibus. Intelligis,

quae dico? Sacerdos est praeco Verbi divini! Attamen non solum tunc, si ore ex ambone veritates religionis christianae annuntiat, sed etiam continuo, facto et exemplo, conversatione sua! Si ergo factis verbis suis contradicere nolit, utique et semper sacerdos se exhibeat praeconem Verbi divini!

Considera 2° sacerdoti a Deo datam non esse scientiam infusam, quapropter ut laudabiliter et fructuose praedicari possit *studere* eum *oportebit* universis theologiae disciplinis, singillatim sese praeparare ad singulas conciones habendas. Vae illi, si negligens in hoc opere sacro existat! Vae illi, si praesumat de Spiritu Sancto sibi suggerendo! Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter (Ier. 48, 10) id est negligenter. Horribile maledictum!

Considera 3° sacerdotem non debere succumbere pusillanimitati, si *fructus praedicationis non respondeant laboribus praecedentibus*. Deus non quaerit exteriores successus, nec ponderat pretium laboris iuxta labores impensos, sed intuetur cor sacerdotis, num ex amore erga Deum officium praedicationis implere voluerit. Si praedicaveris propter Deum et salutem animarum, bene praedicasti et praemiaberis.

III.

Considera 1° officium sacerdotis etiam esse *baptizare*, i. e. sacramenta fidelibus administrare petentibus, et quidem rite ac devote

secundum rubricas praescriptas, simulque semper paratum esse ad sacramenta administranda. Numquam indigne feras, si a te fideles sacramenta petant, cum ius ad haec habeant; cures, ut te exhibeas semper fidelem ac devotum administratorem mysteriorum Dei cum hilari facie, ut fideles aedifices!

Considera 2° officium sacerdotis praeterea esse *benedicere* personis et rebus; accipit enim in ordinatione etiam hanc facultatem, « ut quaecumque benedixerint manus sacerdotales, benedicantur, et quaecumque consecraverint, consecrentur et sanctificentur in nomine Domini, Iesu Christi » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione presbyteri). Benedicas deinceps praesertim omnibus, qui tuae curae spirituali subduntur, nec parcas huic benedictioni, quasi inutiliter in te retinendo.

Considera 3° sacerdotem denique et oportere *praeesse*, i. e. regere animas sibi suaeque curae subiectas. Discas hoc officium explere cum dilectione paterna, suavitate, mansuetudine, ne ex ovibus tuis quaequam tua culpa, vel severitate pereat. Praesis ut pater, pastor, amicus, non qua despoticus tyrannus. Quaenam proposita igitur concipies?

45. — De fine Sacerdotis.

Forsan iam perpendisti, carissime frater, quanta sit dignitas sacerdotis Domini! — sed etiam quanta responsabilitas!— Ad quaenam

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY
autem sacerdos vocatur? Ad eadem, quae Christus fecit, cum sit eius vicarius in omnibus. « Sicut me misit Pater, et ego mitto vos » (Ioan. 20, 21). Christus ergo vult, ut sacerdos eius *potestate digne fungatur*. Pete a Christo, ut te de hac potestate fere infinita sufficienter, imo abundanter instruat.

I.

Considera 1° te imprimis esse *sacerdotem* novae legis, obligatione teneri quotidie renovandi sacrificium crucis nomine et auctoritate Christi eum in finem, ut fructus huius infiniti sacrificii communicet et applicet Ecclesiae, sibi et omnibus fidelibus. Mediator igitur est, ex officio inter Deum et populum, cuius officium est, ut Deum placabilem reddat, laudet, gratias ei referat, cuius cura omnes sibi crediti sunt salvandi. Huius rei gratia quotidie offert pretiosissimum sanguinem Christi, non ex privata devotione, sed semper qua mediator Deum inter et populum.

Considera 2° te *digne* quotidie hoc sacrificium offerre tenere. Caveas, ne sis *proditor* Magistri tui Christi! Caveas, ne tibi manduces iudicium (*I Cor.* 11, 29) sumendo quotidie Christum, ne maledictum super caput tuum trahas, dum aliis cibum salutis paras et dispensas! Quantum huius periculum, si non attendas puritati cordis tui!

Considera 3° ut digne quotidie celebres, te indigere *humilitate* maxima propter magni-

idinem sacrificii, *summo fervore,* ut percipias ructus huius sacrificii, *excellentissima puri-te* animae propter eius sanctitatem. Solum inc audeas, si his tribus virtutibus excellas, d altare accedere, ne fias obiectum divinae indictae. Laicis sacerdos dicere debet: « Sanita sancte tractanda sunt », quomodo autem pse haec sanctissima tractat?

II.

Considera 1° sacerdotem etiam esse nomine Christi *iudicem.* « Quorum remiseris peccata, remittuntur eis » (Ioan. 20, 23), dicit episcopus neoordinato. Sacerdotes enim sunt *cooperatores* Dei in hominibus salvandis, dispensatores mysteriorum et gratiarum Dei, habent claves regni caelorum in manibus. Quanta dignitas sacerdotis etiam ex hac parte!

Considera 2° iudicem saecularem, qui solum agit de rebus terrestribus, esse oportere caum, *iustum,* iudicando omnia iuxta leges et absque acceptione personarum. A iudice autem spirituali, qui conscientias iudicare debet, maiora requiruntur, quia intentio eius sublimior esse debet, scilicet ad utilitates spirituales rei directa, quia *cognitio* causae profundior esse debet, de statu scilicet interiori accusati agitur et quia *sequelae* iudicii sunt graviores, scilicet mors vel vita spiritualis dei, imo et aeterna! Ex his perspicias, quabus facultatibus te instructum esse oportere

spiritualibus scilicet, ut te dirigat in hoc gravi iudicio *amor purus*, maxima *cautela*, qua hanc causam difficilem inquiris, *conscientia tenera*, qua iudicium tam maximi momenti profers!

Considera 3° maxima etiam tibi imminere *pericula* in hoc iudicio. Quam facile agere poteris ex respectu humano, quam facile quaedam omittere ex indifferentia vel indeliberatione, quam facile transgredi fines iustitiae et caritatis! Ex te enim requiret Deus animas poenitentium, si false iudicaveris! Scientia sola theologiae moralis non sufficit, nec prudentia sola, debet te adiuvare gratia divina. Quapropter adlabores, ut omnibus qualitatibus necessariis ad hoc munus grave digne fungendum sis instructus.

III.

Considera 1° sacerdotem etiam *ministrum esse ordinarium* gratiarum Dei pro populo; mediante sacerdote Deus dispensat hominibus gratias suas per sacramentalia. Sacerdos consolari debet afflictos, erigere lapsos, confortare infirmos, adiuvare moribundos. Quae sacerdos benedixerit, benedictione caelesti replebuntur (*Pontif. Rom.*: In ordinatione presbyteri).

Considera 2° ut haec omnia rite et digne peragere valeas, te instructum esse oportere *fide viva*, qua adimples omnes tuas sacras functiones, *animo parato* quoad omnes, qui a te functiones sacras petunt, et absque omni

spe *lucri temporalis,* quia animarum pastor es. Cave, ne fideles in te videant mercenarium, qui tantum munera sua sacra exsequitur, quantum pretium temporale recipit.

Considera 3° *regnum sacerdotis,* sicut *regnum* Magistri sui Christi, esse quidem in hoc mundo, non autem de hoc mundo; quapropter operari eum oportet quidem hac in terra, intentio autem efficaciaque eius respicit regnum caelorum. Ibi etiam unicam mercedem exspectat. — Examina te nunc, quomodo munera tua deinceps qua sacerdos, iudex et minister Dei adimplere velis. Nec obliviscaris firma proposita elicere, ut fidelis minister Christi in omnibus inveniaris! Ante oculos semper habeas illud *proverbium de sacerdote exemplari:* « Ad altare angelus, in ambone leo, in confessionali agnus i. e. mundus, fortis et mitis esse debet ».

46. — De motivis ad Sacerdotium trahentibus.

Ad sacerdotium, summum gradum in ministerio divino post aliquot dies proveheris: Discute animam tuam, ut recta motiva te ad hoc grande munus perducant. Recta motiva certe non sunt terrestria: vita commoda, honores mundani, laus populi, voluntas parentum. Recta motiva unice ex ordine supernaturali desumuntur, scilicet gloria Dei, salus

animae propriae, salus proximi. Si ex hac triplici causa ad gradus sanctuarii ascendisti, recte egisti.

I.

Considera 1° primum et principalissimum motivum sacerdotii tui esse debere: *Gloriam Dei*. Propter semetipsum Deus te creavit, in Ecclesia catholica te natum esse voluit et educatum; procul dubio etiam solum propter gloriam suam te ad sacerdotium vocavit. Numquid et tu unice ad Deum honorandum statum religiosum vel clericalem elegisti et nunc sacerdotio initiari cupis?

Considera 2° gravem esse quaestionem, *quid te moverit proprie*, cum in initio statum clericalem eligere decreveris? Num inter alia motiva saltem etiam hoc, ut Deo melius, intimius, ferventius in statu religioso-sacerdotali servire possis? Saltem in confuso? Num hoc motivum per annos vitae religiosae tuae usque nunc te comitatum sit? Si affirmative, recte egisti, et securus esse potes de vocatione tua; profecto enim Deus te vocavit. Unde et per ostium intrasti. Sin minus, — amice, horribilem rem intendis nunc facere, si absque vocatione Dei te intrudas in sanctuarium eius! Sed securus esto! Nisi te Deus vocasset, certe in statu clericali vel religioso non esses, nec professionem solemnem emisisses, nec praecedentes ordines sacros suscepisses. Attamen attendas, ut gloria Dei etiam nunc sit

principale et primum motivum tuum, si ordinem presbyteratus suscipere velis!

Considera 3° gloriam Dei debere etiam esse primum et principale motivum pro *tota vita tua sacerdotali* in futuro. Semper et ubique huius motivi tibi conscius esto! Tunc libentius laborabis, laetantius sustinebis onera et passiones, abundantius mereberis apud Deum. Baculus enim fortis erit in laborioso itinere tibi, cui inniti poteris!

II.

Considera 1° alterum motivum movens ad sacerdotium et quidem supernaturale et iustum esse *salutem animae propriae*. Sacerdos enim, praesertim regularis, plura accipit media supernaturalia in ordine ad salutem propriam. His mediis non solum facilius tentationibus resistere poterit, sed etiam virtutes excellentiores sibi acquirere, opera meritoria facere. His omnibus salus animae propriae certior redditur ac adiuvatur. Qui igitur statum sacerdotalem ideo elegit, ut curam animae propriae fulciret, recte egit animoque securo ascendere poterit gradus ad sanctuarium.

Considera 2° non inutilem esse quaestionem, numquid et tu hanc salutem animae tuae a *primo die clericatus tui curaveris* et quomodo in hac cura decursu annorum profeceris. Numquid omnia, quae hucusque egisti, egeris etiam in ordine ad hoc, ut virtutibus instructus sufficientibus, aptus esses et idoneus ad re-

cipiendum ordinem presbyteratus? Numquid in tantum profeceris, quoad virtutes et merita, ut iure merito vocari possis pater spiritualis, imo non solum vocari possis, sed etiam ut revera sis pater spiritualis, qui aliis doctrina et exemplis de facto praelucebit, sicut pater carnalis filio?

Considera 3° hanc curam de salute animae propriae pro te *duraturam usque ad finem vitae tuae*, praesertim cum deinceps sis sacerdos regularis, qui ex duplici capite tendere debet ad perfectionem, ad profectum spiritualem, et nonnisi hac tendentia salutem animae suae procurare poterit. Vae tibi, si qua sacerdos segnior esse velles quam antea in statu non clericali!

III.

Considera 1° tertium et ultimum motivum supernaturale ad sacerdotium esse *salutem proximi*. Sacerdos enim est minister Dei et proximi, proximi autem quia Dei, qui vult omnes homines salvos fieri (I *Tim.* 2, 4), et per sacerdotes ordinarie homines ad beatitudinem spiritualem perducit. Quapropter a die ordinationis tuae sacerdos factus es non tui causa, pro te, sed pro aliis, in utilitatem aliorum. Unde in explendis sacris functionibus non debes quaerere propriam utilitatem, devotionem, profectum, sed aliorum.

Considera 2° hanc salutem proximi tibi imponere *labores, tribulationes, passiones, sa-*

crificia, quae deinceps fugere non debebis, sicut et teneberis quotidie pro aliis orare et sacrificare in altari, ut gratias Deo ipsis impetres. Advertas semper te intantum esse bonum sacerdotem, in quantum vixeris saluti spirituali aliorum.

Considera 3° te operari debere pro salute proximi tui etiam *usque ad finem vitae tuae*, sicut teneris obligationes officii tui explere in honorem Dei et ad salutem animae tuae. Ministrando aliis salvum facies temetipsum. Proin numquam dicas: « Nunc satis est, satis vires consumpsi pro aliis », sed semper te interroges: « Quid adhuc restat agendum pro salute aliorum? ». — Quid igitur tibi propones?

47. — De peccato Sacerdotis.

Horribilis et abominabilis est cogitatio: Sacerdos — praesertim si adhuc sit religiosus — peccator! Ille, qui mundus esse deberet, mundis manibus et labiis mediator esse deberet inter Deum et populum, ipse peccator! Utinam ipse tantum esset tali gradu peccator sicut laici! Sed, proh dolor, peccator est maior, peior, abominabilior, quia eius peccatum fere totaliter eum corrumpet, si non doluerit de peccato nec illud emendaverit, quod tamen regulariter sacerdos lapsus non facit. Vere dicitur de sacerdote: « Corruptio optimi pes-

sima », quod et demonstrabit sequens meditatio de peccato sacerdotis, si illud sub diversis respectibus consideraveris, illuminatus a gratia divina.

I.

Considera 1° sacerdotem in statu peccati gravis *frustra laborare* pro vita aeterna. Quaecumque facit, etiam maxima et summa, nihil valent in conspectu Domini, opera sunt mortua, utpote in statu mortis animae peracta. Qui autem frustra laboraverit, mox zelum laborandi perdet et si ex consuetudine obligationes status sui adhuc implet, solum mechanice ad modum machinae laborat absque corde et spiritu. Horribilis cogitatio se per decem, viginti annos et amplius frustra laborasse, frustra vixisse!

Considera 2° *voluntatem sacerdotis*, quod damnum gravius est, in statu peccati gravis viventis, in *dies infirmiorem*, imbecilliorem fieri, ita, ut peccatum quodcumque sit, ei fiat sicut natura altera ita etiam ut tentationibus fere resistere non possit, ut peccata sicut aquam quotidie bibat, ut dicit scriptura (Iob 15, 16). Quot peccata, scelera, sacrilegia in uno anno, quot denique post decem, viginti annos! Quod maxime dolendum, talis miserrimus ne propriam quidem videt miseriam! Si laici viderent animam eius, vere iure merito contemnerent ipsum, utpote sic profunde lapsum vel potius plorare deberent de ipso.

Nulla gratia communis eum movere poterit ad emendationem.

Considera 3° et hoc est damnum gravissimum — talem vitam in statu peccatorum per plures annos perductam, *sacerdotem facere obduratum* in peccato. Sicut vita eius, ita et mors eius. In peccatis vixit, in peccatis morietur. Nec curat de peccatis! Talis vita fuit vita Iudae Iscariotae, etiamsi sacerdos in desperatione de propria salute, in fine laqueo non se suspendeat. In dies conversionem reponit ad tempus posterius, ad infirmitatem ultimam, ad ultimas horas vitae suae — sed viae Domini non sunt viae hominis! (Is. 55, 8). Utinam, carissime frater, horrorem salutarem habeas de omni peccato gravi, illudque effugias, ne in illud incidas!

II.

Considera 1° peccatum grave etiam aliis, i. e. *laicis damnum inferre* ratione scilicet *scandali*. Sacerdos enim solus peccare non potest, peccatum eius se extendit etiam ad alios. Minimum huius est — posito quod laici de statu eius in peccato nihil sciant — quod propter peccata sua fiat tepidus; tunc enim officia sua negliget ad altare, in confessionali et ambone etc. et sic deinceps et fideles negligentes fient in adimpletione praeceptorum divinorum. Sicut sacerdos, ita et populus, dicit Isaias (Is. 24, 2).

Considera 2° sacerdotem peccatis suis, praesertim si sit regularis, *grave scandalum praebere laicis*, quia haec eos diu latere non possunt et sic pessimo exemplo laicos ad peccandum inducet. Potesne forsan numerare summam horum peccatorum, quorum reus erit sacerdos non solum ex parte eorum, qui malum exemplum eius imitati sunt, sed etiam ex parte posterorum eorum?

Considera 3° *scandalum* sacerdotis esse quid *maxime periculosum*, quia hic agitur de animabus aeternaliter damnandis. Si Deus animas eorum repetet de manu sacerdotum, quos ad conversionem exhortatus non est, quid ei fiet quoad animas, quas directe exemplo suo pessimo in infernum detruserit? Timeas, carissime, et caveas!

III.

Considera 1° peccatum sacerdotis ideo grave esse, cum ei etiam maxima responsabilitas coniungatur, et quidem ex triplici capite. Peccat enim *sacerdos maiori cum cognitione*, tum peccati in se, tum Dei, in quem peccat, tum sui ipsius, utpote in sacris ordinibus constituti. Ubi autem maior dignitas et scientia, ibi gravius peccatum.

Considera 2° responsabilitatem peccati sacerdotis ideo esse maiorem, quia fit *post maiora beneficia* accepta vel his beneficiis non obstantibus. Nonne sacerdos deberet Deo fidelius famulari, fidelius mandata eius obser-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY
vare, et tamen facit contrarium i. e. peius agit quam laici, qui tot et tanta beneficia a Deo non acceperunt nec quotidie accipiunt.

Considera 3° responsabilitatem sacerdotis esse maximam, quia non solum peccata habet personalia sicut ceteri homines, sed etiam *peccata* multa committat *ratione officiorum suorum*, peccata commissionis in exercitio munerum suorum sicut et omissionis negligendo scilicet ea, quae facere deberet. Pondera et connumera, si poteris, gravitatem et quantitatem peccatorum sacerdotalium! Cura ut ex his exercitiis acquiras horrorem salutarem cuiuslibet peccati, ne tibi in diem iudicii accumuletur ingens multitudo peccatorum personalium et alienorum; horrendum est enim praesertim sacerdoti incidere in manus Dei viventis! (*ad Hebr.* 11, 31). Quid igitur tibi de peccato vitando propones?

48. — De morte Sacerdotis.

Si cuilibet homini mors est res periculosa praesertim propter iudicium sequens coram summo Iudice, qui in hoc iudicio absque omni misericordia erit, quomodo timenda est sacerdoti mors, propter reddendam rationem villicationis suae. Quis enim hominum coram Deo dicere poterit se optime, absque omni defectu et peccato villicasse? Qualem sententiam igitur audiet ex ore Summi Iudicis?

Favorabilem... vel potius damnativam, eo quod non solum fuerit servus inutilis (cfr. Luc. 17, 10), sed etiam nequam! (Luc. 19, *v.* 22). Et si laico salutaris est cogitatio de morte, multo magis salutaris erit frequens meditatio de morte sacerdoti, ut sibi ultima hora vitae suae tolerabilior evadat.

I.

Considera 1° sacerdoti imprimis rationem reddendam esse de *beneficiis acceptis*, et quidem tum in ordine naturali, quatenus homo, tum in ordine supernaturali, quatenus christianus, sacerdos, religiosus, tum etiam de diversis beneficiis ordinariis atque extraordinariis. Qualis et quanta multitudo beneficiorum a primo die vitae suae usque ad ultimum halitum, praesertim si ponderas specialissimam *gratiam sacerdotii in statu religioso* cum ingenti serie singularum gratiarum ex hac magna generali gratia profluentium absque interruptione!

Considera 2° *perpaucos* esse *fructus* horum beneficiorum ex parte multorum sacerdotum. Loco uvarum invenies labruscas (Is. 5, 2). In cuius ministeriis laboravit? Non Dei, sed suo, mundi, diaboli! Haec omnia clare percipiet sacerdos moriens lumine aeternitatis illuminatus, quo certe aliter ponderabit magnitudinem beneficiorum Dei. Ingratus egit, haec ingentia beneficia negligendo. Quid merebitur? Praemium an poenam?!

Considera 3° sacerdotem permultis beneficiis Dei in vita sua *abusum esse*, adhibendo ea non ad opera bona perficienda, sed peccata, scelera, sacrilegia perpetranda. Revera nigrissima ingratitudo ex parte sacerdotis! Et tamen hanc ingratitudinem per multos annos Deus sustinuit, sperans, ut ita dicam secundum hominem, ipsum se emendaturum. Sed frustra! Qualis responsabilitas exsurget sacerdoti ex tot beneficiis acceptis sed in abusum conversis! Quomodo tu, carissime frater, beneficiis Dei adhuc recipiendis uteris? Timeo, eodem modo ac alii sacerdotes, nisi firma proposita feceris.

II.

Considera 1° sacerdoti rationem etiam esse reddendam de adimpletione *obligationum* suarum imprimis, quomodo ss. Eucharistiae sacramentum tractaverit in celebratione missae, s. communione sibi et aliis distributa, in visitatione eius neglecta, quomodo verba in sacrificio missae protulerit, actionesque fecerit, qualibus distractionibus vanis et peccaminosis cogitationibus se dederit in sanctissimis momentis.

Considera 2° sacerdotem in morte multum pati, si cogitet de *administratione negligenti sacramentorum*, praesertim s. confessionis, quomodo ipse confessus sit et confessiones aliorum exceperit, quales partes gesserit in confessionali, partes dico iudicis, medici et

patris. Quot animae sua incuria et negligentia perierunt aeternaliter, alias animas iterum secum trahentes in infernum! In hac vita de his rebus minime curavit, omnia parvipendit, sed nunc coram tribunali aeterni iudicis res aliter se habere incipit perpendere.

Considera 3° sacerdoti in hora mortis non parum anxietatis causare, quando recordatur *curae animarum*, quam neglexit vel negligenter explevit, tum in ambone, tum in schola, tum privatis collocutionibus. Quot animas potuit viam Domini docere et non fecit; quot a vinculis peccatorum eripere, et neglexit, quot bono exemplo praeire et ad altiora trahere et contempsit. Lux esse debuit et tenebras causavit; sal infatuatum erat ad nihil utile, nisi ut proiiciatur et conculcetur ab hominibus (Matth. 5, 13). Recordare, carissime frater, Iudicem te aliquando stricte discussurum, quapropter fortiter adimpleas omnia munera tua, nisi velis aeternaliter perire.

III.

Considera 1° tertiam partem iudicii specialis post mortem aliquando futuram esse rationem reddendam de peccatis *in statu sacerdotali commissis*. Mensuram horum aliqualem ex verbis s. Bernardi percipere poteris: « Nugae in ore saecularium nugae sunt, in ore clericorum blasphemiae » (*De consid.*, l. II, 22). Et s. Augustinus dicit: « Et vae omni iustitiae humanae, nisi tu Deus in mi-

sericordia discutias! » (*Confess.* IX, 13). Sed quid tunc dicendum erit de peccatis sacerdotalibus? Horribile cogitatu!

Considera 2° peccata sacerdotis, praesertim regularis, ideo strictius esse discutienda, quia *maiori ingratitudine commissa*. Exemplum huius invenies in parabola de illo servo, cui Dominus debitum 10 millium talentorum dimisit, qui non obstante tali maxima misericordia percepta noluit conservo suo minimam summulam nedum condonare, sed solutionem eius reponere, usque dum reddere posset (Matth. 18, 32). Quid Deus dicet sacerdoti in iudicio, qui ita ingentes gratias abusive perdiderit?

Considera 3° peccata sacerdoti non ita facile dimitti, quia raro *sufficienti contritione* de ipsis repletus est. Dolet utique de peccatis, sed quomodo! Obiter, negligenter, socorditer, sicut consuevit alias preces, breviarium etc. recitare. — Quaenam, carissime frater, tibi propones, ut aliquando absque timore horribili mori queas?

49. — De idoneitate intellectuali Sacerdotis.

Magnum onus imponitur sacerdoti, cum sit ex officio obligatus instruendi alios viam mandatorum Dei, mysteria fidei exponendi, cum sit iudex, medicus et pastor animarum. Haec omnia praestare non poterit absque magna

scientia praesertim sacra. Vides, carissime frater, quam necessaria sit tibi *scientia sacra*, acquirenda ante sacerdotium, conservanda ac augenda ordinatione sacra recepta. Quomodo etiam posses alios illuminare lumine scientiae in te exstincto?

I.

Considera 1° scientiam sacram a te esse acquirendam *tempore studiorum*, quae praecedunt ordinationem tuam. Multa oportet nostro tempore sacerdotem scire circa profanas res, sed adhuc magis ei necessaria est scientia sacra seu theologica, quae omnes disciplinas theologicas circumplectitur. Sed harum scientiarum tantum semina tempore studiorum ei inseruntur, deinceps evolvenda et maturescenda. Quomodo haec semina postea evolvi possent, si menti antea non essent inserta?

Considera 2° sacerdoti non sufficere aliqualem *scientiam levem, parum subtilem*, disciplinarum theologicarum, sed requiri accuratam, certam, profundam, usque ad minima, quapropter non solum imprudenter agunt, sed etiam negligenter et culpabiliter, quicumque non intendunt scientiae sacrae profundae. Negligenter et culpabiliter agunt, dico, quia volunt suscipere ordinatione sacra officium difficillimum, quin scientiam necessariam ad hoc habeant. Vere periculosam rem agunt huiusmodi!

Considera 3° inter theologicas disciplinas primum locum obtinere *theologiam dogmaticam et moralem*, quarum prior explicat mysteria et dogmata fidei, altera viam docet perveniendi ad Deum. Nemo potest esse bonus sacerdos, quin optime sciat has duas disciplinas, multo minus bonus praedicator vel confessarius, si deficit in utraque materia. Examina nunc te, quomodo hucusque diligentiam adhibueris ad has disciplinas theologicas addiscendas, in quibus defeceris, quae proinde tibi adhuc restent addiscenda.

II.

Considera 1° sacerdotem etiam debere in se scientiam sacram *conservare*. Si ea, quae didicit, non frequenti repetitione restituere conatus erit, aliquot menses post ordinationem non solum secundaria, sed etiam principalia scientiarum theologicarum paulatim obliviscetur. Infirma enim est memoria hominis. Quapropter oportet sacerdotem quotidie unam duasve horas studio theologico reservare, ita, ut decursu unius anni disciplinam quamdam theologicam percurrat attenta lectione ardentique studio. Hoc studium talis erit utilitatis, ut deinceps singulos tractatus, nexumque inter se melius et profundius intelligat, obiectiones obvenientes facilius solvat, difficultatesque ei evanescant.

Considera 2° studium huiusmodi optimae sacerdoti evadere utilitati etiam ad *praedi-*

cationem sacram facilius exsequendam. Mysteriis fidei doctrinisque morum clare perspectis sacerdos de eis alios facile instruere poterit tum ex ambone, tum in catechesi, tum etiam in privata conversatione quotidiana, cum sibi ab aliis quaestiones proponuntur.

Considera 3° hoc studium ardens maximae esse utilitatis *animae ipsius sacerdotis*, cum fidem vivam et caritatem ferventem erga Deum et proximum ei ex materiis perlustratis excitet, consolidet, confirmet et augeat. Ut ignis ardeat, ligna ei supponi debent; ut sacerdos vitam spiritualem in se nutriat, meditatione et studio quotidiano materiam adducere debet, secus ignis vitae spiritualis mox in eo exstinguetur. Animadvertas, carissime frater, si deinceps videris sacerdotes regulares vel saeculares tepidos vel malos, invenies illos studia et meditationes regulariter negligentes fuisse, unde et vita sacerdotalis et spiritualis eorum evanuit.

III.

Considera 1° sacerdotem etiam oportere scientiam suam sacram *augere*. Utique primo et principaliter studendum est ei theologicis disciplinis, deinde secundariis et utilibus et sic per totam vitam suam discat scientias suas perficere. Numquam dicat sacerdos: « Sufficit, satis scio », quia multa, imo plura sunt, quae nescit. Etiam de seipso sanctus Paulus confessus est: « Ex parte cognosci-

mus » (I *Cor.* 13, 9); partialis enim tantum est scientia nostra. Ex quo desineris amplius studere, incipies oblivisci.

Considera 2° scientiam tuam sacram esse augendam, *etiamsi si tibi esset operandum inter rudes* populumque simplicem. Imo praecise tunc perfecta deberet esse scientia tua sacra, cum maxime difficile sit, rudes in doctrinis fidei instruere, qui paucos habent conceptus, illosque confusos, quapropter veritates supernaturales difficile intelligere valent. Sed praeterea etiam rudes habent animas immortales, pretioso sanguine Christi redemptas et in aeternum salvandas, ideoque non parvipendendas.

Considera 3° hanc scientiam sacram esse augendam *quamvis tu ea forsitan non hic et nunc indigere putaveris.* Sed dico tibi, carissime frater, te nescire nec scire posse, quando ea indigere poteris. Nescis enim, quo te providentia divina statuere poterit aliquando. Nec putes tibi obtingere, quod Christus dixit: « Spiritum Sanctum tibi tunc suggerere » etc. (Ioan. 14, 26). Utique suggeret, si antea scientiam tibi necessariam comparaveris. Non enim Spiritus Sanctus pigros coadiuvat. Quaenam tibi pro futuro tempore circa scientiam sacram addiscendam propones ?

50. — De idoneitate morali Sacerdotis.

Puritas morum immaculata et vita exemplaris fideles aedificans sunt qualitates cuique sacerdoti necessariae. Hoc ab omnibus conceditur; etiam mundus postulat sacerdotes purissimos absque maculis. Unde non miraberis, si a fortiori Deus solum ministros puros circa se habere vult. Ministerium altaris exposcit summam munditiam ministrorum. Quomodo nunc, carissime frater, huc i. e. in sanctuarium intrasti? Veste nuptiali? (Matth. c. 22, 12). Veste forsan innocentiae immaculatae? Vel saltem reparata poenitentiae?

I.

Considera 1° Ecclesiam tempore antiquo, teste s. Epiphanio, *solum illos ad sacerdotium admisisse*, qui innocentiam conservaverant immaculatam et eos exclusisse, qui poenitentia publica aliquod crimen expiaverant. Rigorosior tunc temporis Ecclesia erat, sed iure merito, ratione scilicet ministerii, ad quod sacerdotes sunt vocati. Deo solum optimi, purissimi, sanctissimi sunt digni. Quapropter et Deus sibi elegit Matrem ab omni macula praeservatam immunem. Similis certe videtur dignitas sacerdotalis dignitati Matris Dei, praesertim si observetur, quod sacerdos sum-

mum sacrificium tot vicibus sit repetiturus. Ergone quid nimis requirit Ecclesia, si velit clericos in statu innocentiae baptismalis recipere ordinem presbyteratus?

Considera 2° hanc innocentiam praecise consistere in *omnimoda conversione ad Deum*, quatenus sacerdos aversus ab omni vanitate mundana unice et super omnia quaerit Deum in omnibus, ut ei soli placeat, eique soli serviat. Sic enim munditia, bonitas et sanctitas sunt unum et idem. Putasne autem sacerdotem hanc perfectam conversionem ad Deum recipere in ipsa sacra ordinatione, si antea eam non habuerit, nec in ea se exercuerit? Utique ordinatio ipsa debita praeparatione et dispositione praemissa multum confert ad praedictam conversionem ad Deum sacerdoti necessariam perficiendam; attamen solum confert ad iam habitam, non autem ipsam confert habendam.

Considera 3° sacerdotem *multum plorare* debere, si innocentiam baptismalem non amplius habeat, dum ad ordinem presbyteratus se praeparat. Poterit quidem fieri bonus sacerdos, imo et optimus, si tamen tendat ad summam munditiam cavendo sibi, in quantum poterit, ab omni peccato. Nec tamen omittat plorare de amissa innocentia; lacrymae illae erunt ei in salutem! Si autem hac innocentia adhuc polleat, caute oportet eum ambulare, ne amittat eam.

II.

Considera 1° candidatum presbyteratus, si non gaudeat veste integritatis, saltem habere debere *vestem reparatam poenitentiae,* ut qualibet culpa lacrymis contritionis totaliter exstincta purus et mundus ordinem presbyteratus recipiat. Cur hoc? Ut saltem sic digne Deo famulatum quotidianum praestet. Heu, quot miseri absque tali poenitentia ordinem sacerdotalem recipere ausi sunt, unde et misere perierunt prope fontem gratiarum!

Considera 2° illum necessario perire oportere, qui *negligit saltem veste poenitentiali indutus* dignitatem sacerdotalem recipere. Sciro cupis quare? Quia raro sacerdotes sese emendant, e contra peiores fiunt. « Quotidiana vilescunt! ». Quapropter nullum sacrificium, nulla gratia talem miserum sacerdotem excitare, elevare, instigare posse videtur. Si ergo absque poenitentiali veste ad altare accesserit, timere debebit ne pereat, nisi Deus eius modo extraordinario misertus sit.

Considera 3° sacerdotem *hanc vestem poenitentialem conservare oportere usque ad finem vitae;* quatenus studeat quotidie dolere de peccatis, ne indigne Deo ministret, ne quotidiano abusu rerum sacratissimarum a Deo dimittatur obcaecationi, obdurationi ac impoenitentiae finali. Valde periculosum est officium sacerdotale, praesertim propter hanc impoenitentiam finalem!

III.

Considera 1° quaestionem gravissimi momenti esse pro te: *Quomodo* tu huc i. e. in sanctuarium presbyteratus *intrasti?* Veste innocentiae baptismalis vel saltem reparata poenitentiae? Si primam amiseris, doleas quam maxime, eo magis cura de altera veste! Sericosum instituas nunc examen de hac gravissima quaestione; tua enim res agitur!

Considera 2° *quid facere velis*, ut semper una alterave veste in statu sacerdotali incedere possis, scilicet, ut non solum peccata devites, sed etiam occasiones et pericula peccatorum, ut strenue tentationes superes, ut quotidie digne sacrum peragas, ut virtutes status sacerdotalis proprias excolas, scilicet castitatem, humilitatem, pietatem et ante omnes alias virtutes caritatem erga Deum et proximum, breviter ut sis in omnibus vera effigies viva exemplaris tui magistri — Christi!

Considera 3° te obligatum esse, ut *caveas tibi ab exemplo sacerdotum impiorum*, qui insigne officium suum adimplent more fabrorum, proh dolor! absque omni spiritu religioso et caritate! Forsan vidisti iam tales miseros, infelices sacerdotes? Ne fias similis illis! Ora ad Deum pro illis miseris, ut se convertant, et pro te, ut Deus ab hac ruina spirituali te conservet. — Quaenam igitur nunc tibi propones, ut etiam moraliter aptus idoneusque sis ad tam grande munus explendum?

51. — De fide Sacerdotis.

Iuxta praescriptum Pontificalis Romani, neosacerdotes, communione recepta, antequam accipiunt potestatem peccata remittendi, recitare tenentur symbolum apostolicum, ut per illud profiteantur fidem, quam praedicaturi sunt, uti dicitur in rubrica. Oportet enim sacerdotem habere fidem rectam, firmam et vivam, secus inutilis operator erit in vinea Domini.

I.

Considera 1° sacerdotem excellere debere *fide recta*, seu vera, quatenus ipse credat ea, quae tenuit ac tenet s. Mater Ecclesia, eaque sola nihil plus, nihil minus, et haec, quasi in epitome seu summatim, continentur in symbolo apostolico. Ad haec pertinet fides vera de mysterio ss. Trinitatis et Incarnationis Christi, fides vera de Ecclesia, communione sanctorum, remissione peccatorum, carnis resurrectione et vita aeterna. De his veritatibus praesertim oportet praedicare sacerdotem, instruere fideles, quapropter prius ipse fidem rectam absque omni falsitate et errore et dubio de ipsis habeat, necesse est.

Considera 2° hanc *solemnem professionem fidei* in initio muneris sacri esse ex una parte protestationem solemnem in facie Ecclesiae

neopresbyterum habere hic et nunc veram fidem, quam ideo absque periculo pro fidelibus eis annuntiare potest, ex altera parte simul esse quasi solemne iuramentum, sacerdotem in futuro semper retinere velle hanc fidem rectam, eamque solam, absque omni errore et falsitate, eamque solam etiam fidelibus esse praedicaturum. Ne obliviscaris igitur, carissime frater, in futuro huius iuramenti in sanctissimo momento vitae tuae emissi.

Considera 3° praedictam professionem fidei recte simul etiam significare, sacerdotem praedicaturum *solum ea, quae in hoc symbolo continentur*, i. e. merum verbum Dei, absque additamento humano, utpote quia est praeco Verbi divini non autem opinionum hominum. Si hoc observes, carissime frater, numquam abuteris ambone ad terrestria, futilia, periculosa proferenda!

II.

Considera 1° sacerdotem etiam indigere *fide firma*, nostro tempore fluctuantium opinionum humanarum specialiter firma, secus tum ipse in fide periclitabitur tum alios, quod adhuc magis esset dolendum, in perniciem adducet. Firmam oportet esse fidem sacerdotis dico, ne vacillet, ne haesitet, ne erret, dum videt et audit quotidie alios et alios circa se vacillare, haesitare, errare in fide. Hoc in sensu oportet eum esse columnam ferream et civitatem munitam (Ier.

c. 1, 18) sicut Dominus prophetam Ieremiam esse voluit, oportet etiam eum esse pharum in distans lucentem et alios illuminantem, ut vera et firma fide instruantur.

Considera 2° hanc fidem firmam, si attendas ipsos articulos et veritates fidei, memoriter quidem addisci et retineri posse sed quoad principale esse *virtutem supernaturalem et donum Dei*, quapropter sacerdos debet quotidie Deum de conservatione et augmento huius doni instantissime efflagitare dicendo: « Domine, adauge mihi fidem » (Luc. 17, 5), ut fides fiat firmior in dies, firmissima inter tot nostri temporis pericula.

Considera 3° ut haec fides firmior evadat in dies, maxime oportere *sacerdotem de veritatibus eius meditari iisque studere*. Assidua enim meditatione diligentique studio veritatum supernaturalium fides ipsa magis magisque roboratur et firmatur sicut et scientia repetitis actibus intimius et profundius animae inseritur. Examina te, carissime frater, qualem firmitatem hucusque fides tua adepta sit, et quid facere debeas, ut ipsa in dies crescat et roboretur. Oportet enim totam vitam sacerdotalem fundatam esse super firmam petram fidei, ne subito exortis procellis corruat.

III.

Considera 1° fidem sacerdotis oportere etiam esse *vivam*, quae scilicet montes transferre possit, vivam dico exercitio virtutum et bo-

norum operum. Si pro laicis fides absque operibus mortua sit (Iac. 2, 20), quid erit pro sacerdotibus? Nonne mortifera i. e. aliis mortem spiritualem inferet, dum scilicet operibus aliter se esse exhibeat quam corde credit. *Vivam* dico, hoc in sensu, quod sacerdos, dum operatur circa altare sacrum faciens, dum praedicat, dum confessiones audit, suasque functiones peragit, omnes fideles aedificet.

Considera 2° hanc fidem vivam sacerdoti necessariam esse *ratione sui ipsius*, ne in vanum laboret, ne, dum aliis praedicaverit, ipse reprobus efficiatur (I *Cor.* 9, 27). Fide enim viva merita bonaque opera congregabitur apud Deum et sic talentum a Deo commissum non inutile remanebit.

Considera 3° fide viva sacerdotem exornatum esse debere *ratione etiam aliorum*, qui tantum credent et operibus fidem suam exercebunt, quantum sacerdotem viderint de fide viva habere et exercere. Qualis rex, talis grex. Et si sacerdos omittit hanc fidem vivam in dies augmentare, mox totaliter in se et in aliis frigescet. — Quid igitur, carissime frater, tibi propones de hac fide recta, firma et viva, ut fideliter Deo servire possis in hoc grandi et responsabili officio?

52. — De obedientia Sacerdotis.

Antequam episcopus neosacerdotes dimittit, unusquisque, sicut rubrica praescribit, ad Pontificem accedere debet, « et genuflexus ponit manus suas iunctas inter manus Pontificis dicentis cuilibet: Promittis mihi et successoribus meis (nobis regularibus autem: praelato tuo ordinario) reverentiam et obedientiam? Et ille respondit: Promitto » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione presbyteri). Solemniter igitur postulat Ecclesia a neosacerdote obedientiam erga praelatos, quam ille eodem modo solemni in facie Ecclesiae coram Iesu Eucharistico promittit et vovet.

I.

Considera 1° hanc obedientiam requisitam ex parte sacerdotis non esse *simplicem promissionem*, quasi sub levi tenendam — quamvis vir bonus atque perfectus, qualem sacerdotem procul dubio esse oportet, etiam ad minimum promissum obligari se sentiat — sed votum stricte tale, ad modum fere voti solemnis, quapropter sacerdos graviter peccat, dum episcopo vel praelato suo obedire renuat, imo sacerdos regularis dupliciter graviter peccat, quia bis se ad hanc obedien-

tiam modo solemni obligavit. Quam maxime sint igitur sacerdotes damnandi, qui hanc obedientiam tam negligenter et socorditer praestant et nonnisi gravissimis poenis ad ipsam cogi possunt!

Considera 2° hanc obedientiam *absolutam esse* scilicet in omnibus et usque ad finem vitae, ita ut simpliciter episcopo vel praelato suo sacerdos obedire teneatur, quaecumque ei imponit etiam quoad molestia, gravia, periculosa. Non licet ergo ei contra mandata episcopi recalcitrare, murmurare, rebellare, eis se subdole subterfugere.

Considera 3° Ecclesiam hanc obedientiam a sacerdote in die ordinationis non contra eius voluntatem *violenter extorquere*, cum ipse sufficienter antea instruatur de omnibus, quae in ordinatione fiunt et praestanda et agenda sunt. Propria electione et voluntate, igitur promittit neosacerdos episcopo obedientiam, quapropter de hoc importabili iugo obedientiae non poterit conqueri, ac si ipse nescivisset, quid episcopo promisisset. Expresse Ecclesia interrogat semper ante ordinationem ordinandos, num libere absque vi et coactione accedant ad ordines suscipiendos.

II.

Considera 1° episcopum non solum petere obedientiam, sed etiam *reverentiam*, imo hanc prius altera, utpote quasi praeambulum

et conditionem ad obedientiam. Nemo enim obedire potest alicui, nisi eum revereatur, reverentiamque ei exhibeat. Reverentiam, quam episcopus sibi exposcit, fundatur in hoc, quod ipse sit vicarius Christi, pontifex, antistes. Si sacerdos in episcopo semper videat Christum ipsum, certe reverentia exhibenda et obedientia praestanda — et idem dicendum est quoad regulares de praelatis ordinis — non erit difficilis.

Considera 2° reverentiam hanc debere esse *filialem*, i. e. talem, qualem filius diligens patrem, ei exhibere solet, etenim haec sola decet sacerdotem. Quamcumque aliam, sive sit servilis, sive adulatoria, simulata, non sincera, sacerdos detestari debet. Sumus enim omnes una magna familia, in qua episcopus vel praelatus ordinis est caput vices gerens Christi, ceteri alii autem fratres sumus, quapropter et illos solos affectus admittere debemus, qui huic ideae congruunt. Vides, carissime frater, quam necessaria sit fides viva sacerdoti, ut semper oculis fidei videat in suis praepositis vicarios Christi, ut eis reverentiam filialem exhibere possit.

Considera 3° hanc reverentiam filialem sacerdoti eo magis esse necessariam, quo in episcopo vel praelatis ordinis videat *quascumque fragilitates*, vel quando ab eis decursu vitae suae sacerdotalis perpessus sit quasdam iniustitias etc. Non enim reverentiam promisit angelo, sed homini, qui quamvis in dignitate episcopali constitutus, vel praelatus, qui qui-

buscumque praerogativis exornatus sit, tamen remanet homo fragilis. Praecise erga tales demonstrare potest, num reverentia sua vere sit filialis, vel potius simulata.

III.

Considera 1° obedientiam sacerdotis absolutam necessariam esse *ratione sui ipsius;* virtus sacerdotis tantum valet, quantum obediens est. Obedientiam voluit Deus non victimas, dictum est Sauli (I *Reg.* 15, 22), quanto magis dictum hoc veritatem habet de sacerdote. Quid boni praestare poterit absque obedientia debita erga praepositos suos?

Considera 2° obedientiam sacerdotis necessariam esse *ratione aliorum,* scilicet fidelium, praesertim illorum, qui suae curae committuntur. Quomodo ab aliis obedientiam in spiritualibus exigere poterit, si ipse eam non praestiterit, si ipse contra auctoritatem praepositorum reclamaverit? Nonne fideles iure merito ei in faciem obiicient: Medice, cura teipsum? Nonne ei dicent, ipsum ad pharisaeos pertinere, qui scilicet aliis onera imponunt, ipsi autem ne digitum movere volunt? (Matth. 23, 4).

Considera 3° hanc obedientiam promptam sacerdoti necessariam esse etiam *ratione Ecclesiae universalis.* Absque obedientia subditorum erga praelatos tota Ecclesia corruit. Si igitur obedientia defuerit principalibus

membris eius, scilicet sacerdotibus, qui duces esse debent aliorum, quomodo Ecclesia consistere poterit? — Quaenam igitur propones tibi, carissime frater, circa obedientiam et reverentiam praelatis Ecclesiae exhibendam?

53. — De Sacerdote orante.

Si laicis Apostolus praeceperit « sine intermissione orate » (I *Thess.* 5, 17), quam necessariam sacerdoti esse orationem putas, carissime frater, sacerdoti dico, qui gravissima officia explere debet quotidie, qui fere semper est in periculo graviter peccandi, gravibus tentationibus quotidie etiam exponitur ex parte carnis, mundi et diaboli? Crede mihi, succumbet, corruet, peribit, nisi instanter, instantissime oraverit. De hac gravissima orandi obligatione nunc instituas meditationem, ut firma proposita de orationibus quotidie rite persolvendis capias!

I.

Considera 1° sacerdotem oportere *omnes orationes suas quotidianas accurate persolvere*, nihil omittendo, abbreviando, accelerando eorum, quae persolvere obligatur, nisi eum excuset urgens necessitas. Est tempus laborandi et quiescendi, praesertim autem orandi;

orationi autem primus locus debetur. Quomodo fructuose operari poterit in vinea Domini absque benedictione divina? Hanc autem certe sola oratione obtinebit. Quapropter sacerdos conscientiosus ante omnia curabit, ut orationes quotidianas accurate et rite persolvat, praesertim quod attinet ad breviarium, meditationem, rosarium.

Considera 2° has orationes persolvendas esse cum *magna devotione*, ne de sacerdote valeat, quae Dominus de populo Israel dixit: « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me » (Is. 29, 13; Matth. *c.* 15, 18). Ideo antequam oraveris, colliges te et recordaberis, quid tibi sit agendum, quocum colloquendum. Absint a te tempore orationis omnes cogitationes inutiles, vanae, mundanae, praesertim cum tu sacerdos orationes persolvere debeas nomine Ecclesiae seu populi, non ut persona privata.

Considera 3° etiam *magnum zelum* in orationibus sacerdoti esse adhibendum. Non coacte et invite, sed libenter et gaudenter est tibi orandum; orationes praesertim praescriptae (etiam ante et post missam) non sint tibi onus importabile, quod a te proiicere cupis, sed iugum suave, utpote tibi tribuens largissimam benedictionem caelestem. Examina te, carissime frater, quomodo hucusque oraveris et quomodo deinceps omnes orationes tuas persolvere intendas!

II.

Considera 1° *recitationem breviarii* esse gravissimam obligationem status tui et quidem ex duplici capite, scilicet sacrae professionis, si professionem solemnem emiseris, et sacerdotii, quae tibi igitur occumbit qua clerico, nomine et auctoritate Ecclesiae. Ne negligas unquam hanc grandem obligationem, nec in ea implenda te laxum geras, sive breviarium choraliter, sive private recites. Si attente, devote et cum fervore recitaveris, non solum benedictionem divinam recipies, sed etiam utilibus cogitationibus et affectibus impleberis. Si autem male, meritum perdes et praeterea gravibus poenis a Deo punieris.

Considera 2° ad spiritum Christi in se conservandum, imo et augendum, sacerdoti praesertim regulari esse *meditationem quotidianam* praescriptam. Nihil interest, de quanam materia et qua methodo ipsa instituatur, dummodo sacerdos eam non omittat. Attamen non absque omni methodo, ne fructu necessario careat. Impossibile est, sacerdotem perire, qui quotidie cum devotione et fervore meditationem peregerit.

Considera 3° optimum medium proficiendi sacerdoti esse continuam conversationem cum Deo per *saepe repetitam recordationem praesentiae Dei*. S. Thomas hoc medium supernaturale vocat directissimum ad perfectionem

consequendam. Viva enim recordatio praesentiae Dei excitat ad actus virtutum et opera bona, revocat a peccatis, temperat impetus tentationum, impellit ad actus heroicos, impetrat benedictionem Dei frequentem. — Examina igitur te, carissime frater, quomodo hucusque te habueris circa has praedictas orationum species et quid faciendum deinceps tibi proponere velis!

III.

Considera 1° sacerdotem imprimis colere debere *ss. Eucharistiae sacramentum*, saepius illud, si occasio adsit, visitando, salutando, maxima cum devotione cum Iesu Eucharistico colloquendo, ut quam maxime impleatur spiritu Magistri sui caelestis. Caveas, cum aliquid circa altare tibi sit agendum, ab omni indecentia, qua oculos Domini Iesu offendere possis.

Considera 2° sacerdotem venerari debere *B. Virginem Mariam*, eam salutando, invocando, in honorem eius preces recitando, praesertim rosarium quotidianum, sed ante omnia imitando virtutes Matris suae caelestis. Sacerdos, qui B. Mariam Virginem quotidie ferventer non coluerit, rosarium neglexerit, bonus dici non poterit.

Considera 3° quemlibet bonum dominicanum ferventer colere Patrem suum spiritualem, *B. Dominicum*, fundatorem ordinis nostri; et

si sis clericus saecularis *Patronum* tuum *baptismalem* colas, quotidie in vita eius inspiciendo quasi in speculo, ut percipias, utrum patri tuo iam similis factus sis, an non et quid agendum adhuc tibi restet. — Examina te quomodo hucusque colueris ss. Sacramentum, B. Mariam et B. Dominicum (seu Patronum tuum) et quid deinde agere velis, ut fias bonus, imo optimus sacerdos in Ordine Praedicatorum vel saecularis.

54. — De Sacerdote pugnante.

Christianum oportet pugnare adversus carnem et sanguinem; sentit enim aliam legem in membris suis, quae legi spiritus adversatur (*ad Rom.* 7, 23). Omnia in mundo, qui in malo positus est, sunt concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis et superbia vitae (I Ioan. 3, 16). Praeterea tres sunt inimici hominis quotidie et fere continuo infestantes ipsum: diabolus, mundus et propria caro. Inimici hominis domestici eius (Matth. c. 10, 36). Ex his omnibus apparet discipulo Christi semper paratum esse debere ad pugnam: Non enim veni, dicit Christus, pacem mittere, sed gladium (Matth. 10, 34). Multo magis sacerdoti, praecipuo discipulo Christi, haec pugna spiritualis continuo imminet. Felix, qui hanc pugnam feliciter absolvit.

I.

Considera 1° pugnam hanc spiritualem sacerdoti imprimis *necessariam* esse, ut in seipso probetur: « Virtus in infirmitate perficitur » (II *Cor.* 12, 9), hoc etiam quilibet sacerdos in se experiri debet. « Regnum caelorum vim patitur » (Matth. 11, 12), « nemo enim coronabitur, nisi legitime certaverit » (II *Tim. c.* 2, 5). Sacerdotem etiam laicis anteire oportet ut propria experientia edoctus aliis ostendere possit, quomodo sit dimicandum ut etiam sciat experientia propria pugnis aliorum succurrere, aptaque eis media indicare.

Considera 2° pugnam spiritualem sacerdoti valde *utilem* esse, utpote quia quotidie feliciter pugnando, actus virtutum exercendo virtutes ipsas acquirit, tentationes superando merita auget, operaque bona perficit. Quomodo haec omnia acquiret sine pugna spirituali? Potestne esse humilitas absque humiliationibus, fides absque subiectione intellectus veritati revelatae, castitas absque tentationibus, patientia et mansuetudo absque probatione?

Considera 3° pugnam spiritualem esse sacerdoti valde *facilem*, quia propriae suae bonae voluntati gratia copiosa Dei quolibet momento occurrit et praesto est. Quapropter pugna ipsa nil molesti habet in se, utpote semper coniuncta cum felici exitu et larga praemiatione. Maxima igitur cum gratiarum

actione sacerdos hanc pugnam ex manu Dei quotidie suscipere debet, quia tantorum bonorum spiritualium causa et radix est.

II.

Considera 1° sacerdotem oportere imprimis pugnare cum *maxima vigilantia*. Hostes, quorum impetus observantur, et iam a longe praevidentur, non sunt periculosi. Quapropter vigilet sacerdos, tum quoad ea, quae ab extrinseco infestant, tum quoad ea, quae intrinsecus in ipso exoriuntur, ut subito se contra utraque defendat. « Principiis obsta, sero medicina paratur », valet etiam in pugna spirituali. Tentatio, quae quasi in nuce deletur, numquam periculosa nec insuperabilis evadere potest.

Considera 2° alterum medium in pugna spirituali, et quidem nec minus necessarium et forte esse *orationem:* « Vigilate et orate! » (Matth. 26, 41). Utrumque postulat Salvator. Orationem dico tum illam, quae instante et durante tentatione — et quidem devote et instanter — fit, tum illam, quae generaliter decursu diei ad caelum emittitur, ut gratia necessaria impetretur. Quantum oraverit et vigilaverit, tantum victor erit sacerdos in pugna spirituali.

Considera 3° hoc utroque medio utendum esse *usque ad finem vitae*, tamdiu enim pugna durabit, quia inimicus numquam dormit. Vae sacerdoti, qui iam satis pugnasse se diceret

nec amplius vigilare et orare vellet. Periret certe, quamvis iam summum sanctitatis apicem attigisse sibi videretur.

III.

Considera 1° sacerdotem tria *cavere* oportere; quorum primum est *inutilem et superfluam conversationem* cum hominibus, praesertim mulieribus etiam piis, quia ex tali conversatione imprimis vanae cogitationes, deinde periculosae tentationes surgere solent, praesertim si oculos non cohibeat. Non raro diabolus ex filo facit funem, quo sacerdotem non vigilem finaliter suspendit, uti patet ex permultis tristibus exemplis.

Considera 2° sacerdotem *non minus* sollicite cavere debere *lectionem librorum inutilium* et periculosorum, ex qua gravissimae tentationes oriri facile possunt. Loco harum rerum legat in aliquo libro pio vel saltem serioso; tunc mens sua piis imbuetur ideis.

Considera 3° sacerdotem maxime evitare debere, praesertim, si tentationes carnis feliciter superare velit, omnem *immoderantiam ciborum et potuum*, imprimis alcoholicorum, qui carnem excitant et rebellare faciunt adversus spiritum. Absque tali abstinentia strenua nemo diu remanere poterit bonus miles Christi. Examina te, quomodo et quocum successu hucusque pugnaveris et quid deinceps facere velis, ut perenni et diuturna pugna spirituali finaliter victor existas!

55. — De Sacerdote praedicante.

Grave munus sacerdotis est etiam officium praedicationis sacrae, quatenus ad numerum eorum pertinet quibus dictum est: « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae..., docete omnes gentes, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis! » (Matth. 28, 19). Hoc tamen munere fungi debet iuxta methodum s. Pauli, « non in sublimitate sermonis aut sapientiae, nec in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis » (I *Cor.* 2, 1), nihil aliud in hoc sciens, nisi Iesum Christum et hunc crucifixum (I *Cor.* 2, *v.* 2). Ex his verbis, percipies, carissime frater, quid et quomodo te praedicare oporteat, si cum fructu et successu hoc grave officium exercere velis.

I.

Considera 1° praedicatorem ex officio *destinari* ad praedicationem. Malus esset praedicator, qui praedicare nollet vel tantum raro praedicare vellet, praesertim si ad ordinem Praedicatorum pertineret. Nonne hoc esset talentum a Domino sibi commissum in sudario recondere? (Luc. 19, 20). Gaudeas igitur, si ad praedicationem destinaris vel mitteris. Ad hoc enim ordinem Praedicatorum

ingressus es vel ordinem presbyteratus recepisti, ut munus praedicationis exerceres.

Considera 2° praedicatorem mitti *ad omnes gentes* i. e. ad quoscumque homines, sive sint rudes et ignari, sive eruditi et exculti; « Omnium enim hominum debitor est, ut omnes Christo lucrifaciat » (I *Cor.* 9, 19). Quapropter non sit delicatus in eligendo auditorio, nec minorem praeparationem adhibeat, si ei praedicandum sit coram rudibus, vel quamvis paucus sit numerus auditorum. Nonne omnes habent animas pretiosas in conspectu Domini sacratissimo sanguine Christi redemptas, quas hereditari oportet regnum caeleste?

Considera 3° ideo praedicatorem mitti ad omnes gentes, ut doceat eas *omnia*, quae Christus docuit, nihil dictis Christi addendo, nil subtrahendo, solum annuntiandum *verbum Dei*, absque omni additamento humano. Proin caveas ab omnibus doctrinis et vanitatibus saecularibus in praedicationibus; claris et persuasibilibus verbis linguae simplicem sermonem facias ad populum, ut omnes etiam pueri et rustici intelligant ea, quae dicis, devitando res, quae ad verbum Dei non pertinent. Hoc modo eris bonus praedicator cum fructu laborans in cura animarum.

II.

Considera 1° thema praedicationis s. Pauli fuisse unicum, scilicet *Iesum Christum*, i. e. eius personam, eius dicta et facta, virtutes

et opera. Quam ampla materia, certe sat ampla, fructuosa animabus, quae ad altiora tendunt, simul etiam quam sufficiens! Nonne tenetur omnis homo et praesertim christianus alter fieri Christus? Si igitur praedicator hoc consecutus sit, ut scilicet auditores suos vero spiritu Christi imbuerit, ut quilibet eorum sit alter Christus, certe non in vanum laboravit.

Considera 2° s. Paulum praedicasse Iesum Christum et *hunc praesertim crucifixum* (I *Cor.* 2, 2), scilicet ea, quae Christus fecit et passus est, ut homines effundendo proprium sanguinem redimeret, simul ostendendo viam crucis, qua etiam Christus ambulavit, esse viam directam ad caelum. « E cruce salus », hoc etiam tuum debet esse, carissime frater, thema speciale auditoribus intimandum et inculcandum, ne huius obliviscantur. Multi fugiunt hanc crucem et tamen non datur salus nobis nisi per crucem!

Considera 3° *multum esse praedicatori adlaborandum,* ut hoc tam profundum et amplum thema ex omni parte auditoribus inculcet, praesertim nostro tempore, quo maior pars hominum tendat ad divitias lucrandas, ad voluptatibus fruendum, ad honores assequendos et fere nihil curet de Deo et caelo et de via abnegationis suiipsius et sequela Christi patientis. Ne desperes, carissime frater, si tibi in vanum praedicasse videatur, — absque fructu copioso! Tardi enim homines ad credendum (Luc. 24, 25), tardiores ad faciendum!

III.

Considera 1° praedicatorem quoad modum praedicandi observare oportere, ut non praedicet « in sublimitate sermonis et sapientiae », sicut professor ex cathedra, sed sicut mater instruit parvulos suos, lac potius porrigendo quam cibum grassum. In praedicatione enim fidei partem principalem habet Deus, non verbum praedicatoris. Verbum enim Dei ex se efficax est, nec indiget coniunctione sapientiae humanae, quae inops et limitata est.

Considera 2° praedicatorem nec praedicare debere in *persuasibilibus sapientiae humanae verbis*, i. e. modo oratorio multis utens exquisitissimis phrasibus, terminis et periodis, ut tali specie capiat homines; e contra utatur lingua populari et simplici — utique non triviali — stiloque vulgari, ut sic ab omnibus clare intelligatur et omnes moveat ad agendum iuxta praecepta divina. Legimus enim, ut dicit s. Augustinus, Platonem sua sapientia elegantique sermone nec unum hominem in melius convertisse...

Considera 3° praedicatorem autem praedicare oportere *in ostensione spiritus et virtutis* (Ib., l. c.), quibus verbis s. Paulus intelligit interiorem commotionem, qua praedicator persuasus de eis, quae profert, alios trahit secum ad faciendum iuxta praecepta divina. « Pectus est, quod dissertos facit »,

dicit Quintilianus. Ergo etiam praedicator repletus debet esse spiritu Christi, si alios Christi spiritu replere vult. — Quaenam tibi propones circa munus praedicationis?

56. — De Sacerdote in confessionali.

Maxima est dignitas sacerdotis, non solum quatenus potestatem habet super Corpus Christi verum, conficiendo scilicet in sacrificio missae ss. Eucharistiae sacramentum, sed etiam quatenus potestatem exercet super Corpus Christi mysticum scilicet fideles, remittendo vel retinendo peccata eorum. Attamen fere maior responsabilitas in exercitio huius potestatis quam eius dignitas. Videas igitur, ut fideliter in confessionali te geras qua ministrum Christi, semper et ubique sis bonus, mansuetus et benignus pastor munere tuo fungens ut *iudex*, *medicus* et *pater*.

I.

Considera 1° sacerdotem in confessionali imprimis esse *iudicem*, cui scilicet, utpote vicario Christi proponitur a poenitente materia accusationis ponderanda et diiudicanda, peccata, nempe, gravia, quandoque gravissima. Age igitur partem Dei condemnando, abominando, detestando peccata, non autem pec-

catorem. Peccator enim homo infirmus et fragilis est, quapropter eius misereri debes. Ne taceas ad peccata, praesertim si agitur de gravibus, sed strenue discute.

Considera 2° sacerdotem oportere esse in confessionali *iudicem strenuum*, i. e. absque respectu personarum, non nimis rigidum et rigorosum, nec nimis mansuetum vel potius laxum, qui se non timet, omni poenitenti veritatem dicere, si oportet, qui et scit a peccatoribus observationem mandatorum Dei exigere, tum divina praemia tum poenas aeternas demonstrans, qui etiam nec minis nec muneribus ex parte poenitentis flectitur. Crede mihi, carissime frater, quandoque confessario non esse facile, erga omnes aequali modo hanc strenuitatem ostendere.

Considera 3° confessarium, ut digne et fideliter qua iudex se gerat in confessionali, *indigere conscientia uti dicitur tenera seu ipsum debere esse timoratum*, qua scilicet et peccatum et gradum peccati ubique detegit, qua etiam medio modo se habere potest inter nimiam rigorositatem et nimiam laxitatem. Quam conscientiam timoratam acquirit tum diligenti studio principiorum moralium, tum accurato exercitio applicando ea in propria vita, tum quotidiana experientia in confessionali. Videas, carissime frater, quomodo fieri possis talis iudex qualificatus in hoc gravi negotio peccata remittendo et retinendo.

II.

Considera 1° confessarium oportere esse sicut iudicem ita etiam et quidem eodem modo *medicum* et quidem *peritum,* qui scilicet cognoscat et distinguat infirmitates spirituales generis humani in generali et in speciali, fragilitatem uniuscuiusque, non minus autem cognoscat etiam media seu medicinas adversus singulas infirmitates et vias, quibus auferri possunt. Ex his apparet, medicum spiritualem non solum gaudere debere magna scientia rerum moralium (virtutum scilicet et vitiorum), sed etiam ampla praxi et experientia, qua singulos homines modo convenienti et fructuoso tractare possit.

Considera 2° medicum spiritualem liberum esse debere *tum a crudelitate, tum a falsa misericordia,* in auferendis partibus putridis spiritualibus, applicando principium evangelicum: « Si oculus dexter scandalizat te, erue eum et proiice abs te » (Matth. 5, 29). Medicus enim unice considerare debet sanitatem infirmi, non autem dolores vel gemitus eius, si incidere oporteat.

Considera 3° medicum spiritualem adhibere debere sicut et physicum exercendo suum munus *maximam affabilitatem et amorem erga infirmos spirituales,* ut ipsi ei plenam confidentiam exhibeant eumque solum considerent, qua medicum scilicet salvificantem. Hoc amore

erga omnes infirmos spirituales exhibito aequali modo — suffultus gratia divina — poterit omnibus utilitati esse.

III.

Considera 1° confessarium exhibere se debere in confessionali quam maxime *patrem*, qui filios delinquentes benigne recipit, corripit, punit et emendat, coniungens in suo modo agendi strenuitatem cum benignitate. Hoc modo agere debet erga peregrinos et totaliter ignotos, sicut et erga optime notos, etiam erga peccatores consuetudinarios, recidivos, praesertim erga eos, qui de sua emendatione fere desperant; omnium enim est pater spiritualis.

Considera 2° confessarium semper prae oculis habere oportere, *se gerere in confessionali personam Christi*, ex cuius auctoritate absolvit contritos corde, quapropter et agere debere ut patrem, qui quidem puero dolenti sincere de peccato commisso ex toto ignoscit, attamen etiam nec virgae parcit, ne peccatum inexpiatum remaneat.

Considera 3° confessarium hoc, scilicet se gerere personam Christi, ideo prae oculis habere oportere, *ne patientiam amittat*, si poenitentes eum quandoque molestant, vel si eos fere impraeparatos absque sufficienti examine conscientiae, contritione et proposito inveniat, vel si ipsum inutilibus quaestionibus

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

premunt etc. Homines enim fragiles et peccaminosi confessario delicta sua confitentur, non angeli ei de virtutibus loquuntur. — Quid tibi de munere confessarii propones, ut sis idoneus iudex, medicus et pater?

57. — De vestibus sacerdotalibus.

Vestes, quibus sacerdotes a ceteris clericis distinguuntur, sunt stola (transverse posita) et casula, cui addi posset quoad benedictionem solemnem aliasque functiones solemnes pluviale. His vestibus etiam externe potestas sacerdotis indicatur maior potestate aliorum. Nec hae vestes significatione spirituali carent, uti patet ex verbis episcopi, sacerdoti vestes praedictas imponentis. Convenit, carissime frater, etiam de his vestibus quaedam considerare, ut eas deinceps quam dignissime portes.

I.

Considera 1° verba episcopi, dum tibi in sacra ordinatione *stolam* imponit: « Accipe iugum Domini; iugum enim eius suave est et onus eius leve » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione presbyteri). Ex his perspicis etiam, secundum sententiam Ecclesiae, sacerdotium verum esse onus et iugum. Complectitur enim multas obligationes et officia sacerdotis, quae

eum propter diuturnitatem, difficultates et molestias premere possunt ad modum veri iugi, utique inquantum in se considerantur absque respectu ad gratiam divinam hoc iugum dulce facientem. Et revera onera sunt: coelibatum servare, breviarium recitare, utrumque sub gravi, deliciis mundanis etiam licitis, sed statui sacerdotali minus congruis renuntiare, semper die noctuque paratum esse ad sacramenta administranda etc.

Considera 2° stolam significare hoc iugum, quod tamen *Domini* dicitur, Dei scilicet omnipotentis, Dei Salvatoris, quapropter potius honor quam iugum dici deberet. Servire Deo communiter regnare est, i. e. statum regium significat multo magis servire Deo in statu sacerdotali. Hoc semper meditare, carissime frater, scilicet te fungi munere honorifico, et certe non senties iugum sacerdotii.

Considera 3° hoc iugum Domini *suave* esse, dulce, iucundum, et onus levissimum, certe sub una conditione, si non ut servus ministres Domino, sed ut amicus, filius. Si omnibus dicatur: « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus » (Ps. 33, 9), putasne sacerdoti Dominum minus suavem esse, si ei fideliter ministret, onusque eius digne portet ac munus eius sincere exsequatur? Ideoque ne obliviscaris: « Sacerdos infelix gemens sub iugo Domini sui, male Domino servit, secus infelicem sese non sentiret ».

II.

Considera 1° sacerdotem portare stolam in missae sacrificio *per modum crucis*, quia renovat modo incruento sacrificium in cruce oblatum. E cruce salus! Hoc principium ex toto sacrificio missae elucet, uti patet ex diversis signis crucis, quae sacerdos facit super munera in altari posita, hoc indigitatur etiam ex forma crucis, quae apparet in casula et quae observatur impositione stolae super pectus sacerdotis.

Considera 2° formam crucis, qua stola super pectus sacerdotis ponitur, ipsum exhortari *ad patienter portandum* crucem status sui, quam Ecclesia nominat iugum Domini. Semper enim oportet sacerdotem renuntiare omnibus, etiam sibimetipsi, Christum sequi in via regia crucis, aliis bono exemplo pastoris patientis praeire.

Considera 3° sacerdotem non esse perfectum discipulum Christi, *quamdiu crucem non amat*. Vicarius Christi est in omnibus; dum orat, dum offert, dum sacramenta dispensat, dum laborat in vinea Domini, dum benedicit. Et in his omnibus adhibet signum crucis non solum, quia est signum benedictionis, sed etiam quia salus e cruce hominibus provenit. Si igitur tota salus hominis e cruce oritur, crux amari debet super omnia et in omnibus, quia salus vitae in ea pependit. Quantum igitur

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY
amaveris crucem, tantum spiritus Christi in te erit. Vae tibi, si incipias crucem abominari, crucem fugere, crucem evitare!

III.

Considera 1° alteram vestem sacerdoti propriam esse *casulam*, de qua episcopus dicit: « Accipe vestem sacerdotalem (est igitur distinctiva vestis sacerdotalis), per quam caritas intelligitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi caritatem et opus perfectum » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione presbyteri). Speciali modo igitur inculcatur sacerdoti in ordinatione sua praeceptum caritatis erga Deum propter semetipsum, cetera propter Deum. Dum igitur induit se ad sacrificium missae casulam, huius gravissimi praecepti caritatis ne omittat recordari sacerdos!

Considera 2° hanc caritatem *esse donum Dei supernaturale*, quod homo sibi dare non potest, quapropter audit sacerdos in ordinatione sua verba episcopi: « Potens enim est Deus, ut augeat tibi caritatem » praesertim si instanter de hoc augmento caritatis petat. Ne obliviscaris, carissime frater, quotidie in communione Missae Deum flagitare de augmento caritatis!

Considera 3° casulam etiam significare *opus perfectum* ope caritatis perpetratum. Quae sacerdos facit Deo ministrando, perfecte facere debet, ut beneplacitum Dei acquirat secus servus totaliter inutilis est. Examina te, ca-

rissime frater, quid facere velis, ut deinceps has duas vestes sacerdotales, stolam scilicet et casulam, digne portare queas.

58. — De manibus Sacerdotis unctis.

Perpende, carissime frater, manus sacerdotales speciali unctione et oratione Ecclesiae consecrari et quodammodo caelestis benedictionis plenitudine repleri iuxta verba episcopi consecrantis: « Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas, per istam unctionem et nostram bene † dictionem. Amen. Ut quaecumque benedixerint, benedicantur, et quaecumque consecraverint, consecrentur et sanctificentur in nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen ». In omnibus igitur apparet et declaratur summa dignitas sacerdotis.

I.

Considera 1° speciali unctione et Ecclesiae oratione manus sacerdotis *consecrari et sanctificari*, i. e. ab usu profano separari et Deo dedicari. Intelligis sensum verborum? Manus igitur sacerdotis specialissime sunt membra Domini, non tangant — absque necessitate — profana, mundana, terrestria, multo minus peccaminosa, spiritualiter mortifera, ea scilicet, quae ad peccatum ducunt vel ducere possunt; Domino enim sunt consecratae! Vi-

deas, carissime frater, quomodo manus tuas consecratas possis deinceps sanctas servare et immaculatas!

Considera 2° unctionem fieri oleo *catechumenorum*, oleo igitur solemniter consecrato ab episcopo feria quinta in Coena Domini (intelligas ordinem seu relationem ad sacerdotium, quia consecratum est in Coena Domini) et quidem per *modum* crucis a pollice dexterae manus ad indicem sinistrae et a pollice manus sinistrae usque ad indicem manus dexterae, ita ut totaliter palmae sint consecratae. Iterum crux! Ne obliviscaris, carissime frater, huius saepe memoratae crucis et eius significationis!

Considera 3° manus sacerdotis etiam consecrari et sanctificari *benedictione episcopi*, iterum his verbis signum crucis applicando, qui episcopus vices gerit Christi per episcopum sacerdotes ordinantis. Omnis benedictio, consecratio et potestas spiritualis a Christo descendit, nostro summo sacerdote! Si haec omnia perfecte intellexeris, manus tuas cum reverentia semper inspicies, mundas conservabis et cum reverentia tantum ab aliis tangi sines.

II.

Considera 1° manus sacerdotis ideo ungi et consecrari, ut quaecumque *benedixerint, benedicantur*. Undequaque igitur effundit sacerdos benedictionem caelestem et terrestrem,

benedictionem copiosam super personas et res, ita ut nulla res eius benedictioni subducatur. Benedictae sunt manus eius a die ordinationis suae et tactu ss. Corporis et Sanguinis Christi in dies, ut ita dicam, magis magisque benedicuntur. Intelligis, carissime frater, quanta sit potestas tua benedicendi!

Considera 2° benedictioni sacerdotali praesertim *subdi* personas et inter homines *fideles,* quibus sacerdos benedicere debet; dico non solum ex altari, cum ex officio manus extendit ad benedictionem, sed etiam extra missam et ecclesiam, ut ita dicam, in vita privata. Benedicere debet omnibus qui petunt benedictionem et qui ea indigent, uti sunt pueri, iuvenes, afflicti, infirmi, moribundi, benedicere debet prope adstantibus, sed etiam benedictionem mittere absentibus, uti sunt infirmi, itinerantes etc. suae curae subiecti; nemo frustretur hac sua benedictione sacerdotali.

Considera 3° vim benedictionis sacerdotalis *dependere a potestate sibi a Christo Domino tradita,* quapropter fit per modum crucis. E cruce enim omnis salus nostra! Videsne, iterum crucem? Christus igitur per sacerdotem benedicit suis, ideo sacerdos intelligat se nihil aliud esse quam organum, instrumentum benedictionis Christi; unde nec ex invidia, pigritia etc. hanc benedictionem in se retinere debet. Nonne fideles in iudicio sacerdotem accusabunt: Benedictionem a te petivimus, tu autem nos repulisti, eam nobis negasti?!

III.

Considera 1° manus sacerdotis etiam ungi eum in finem, « ut *quaecumque consecraverint, consecrentur et sanctificentur* ». Habet igitur sacerdos potestatem personas et res Deo consecrare et sanctificare, ita ut ipsae consecratae et sanctificatae maneant et etiam benedictionem nobis a Deo mediare possint, sicut ex. gr. cruces, imagines, rosaria aliaeque res benedictae.

Considera 2° consecrationes et sanctificationes rerum per manus sacerdotis fieri *in nomine Domini nostri Iesu Christi*. Non ex seipso igitur consecrare et sanctificare potest sacerdos, sed solum qua minister et instrumentum Christi, eius nomine et auctoritate. Quapropter *etiam gratis* omnia huiusmodi praestare debet nec ullam mercedem nec pro labore exigere. « Gratis accepistis, gratis date! » (Matth. 10, 8). Et quia minister Christi, ideo semper libenter potestate consecrandi et sanctificandi uti debet, non enim de suo dat, sed de thesauris Domini sui.

Considera 3° hanc unctionem manuum fieri, *antequam sacerdos accipiat potestatem missam celebrare*, in signum eius, solum manus consecratas hoc sacrificium offerre debere, quae proinde antea iam sint consecratae; et ex hoc etiam sacrificio deinceps iterum iterumque benedictionem ex tactu ss. Corporis et Sanguinis benedictionisque augmentum recipiunt. Unde

earum insignis potestas omnia consecrandi et sanctificandi. — Quid tibi igitur propones, ut manus tuas mox consecrandas puras semper eleves in caelum ad benedictionem impertiendam extendas?

59. — De conversatione quotidiana Sacerdotis.

« Conversatio nostra in caelis est », id est esse debet, dicit s. Paulus (*ad Phil.* 3, 20) de primitivis christianis; procul dubio etiam sacerdotis conversatio caelestis esse debet, cum quotidie cum Rege caelesti ei conversandum sit, quem in cordis hospitium recipit. Ut autem haec conversatio revera sit caelestis, permulta requiruntur, ex quibus tibi, carissime frater, capita principalia ante oculos ponere vellem. Quae si observaveris, certe bonus sacerdos eris.

I.

Considera 1° sacerdotem oportere imprimis bene ordinatum esse *in seipso*, ut honoret ipse in se dignitatem sacerdotalem, si eam ab aliis honorari velit. Idcirco studeat cuidam *morum gravitati et maturitati*, quibus omnibus reverentiam imponit, gravitati et maturitati dico, scilicet in corporis motibus, gestis et actibus, verbis et actionibus. Ubique et semper

recordetur huius: « Tu es sacerdos! » (Ps. 109, *v.* 4); et alterius: « Spectaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus! » (I *Cor.* 4, 9); et tertii: « Vos estis lux mundi » (Matth. c. 5, 14), procul dubio, ut luceatis in tenebris mundanis, positi super candelabrum.

Considera 2° huic gravitati et maturitati sacerdotem oportere operam dare « *etiamsi a nemine videatur* ». Praesentia enim Dei et angeli custodis requirit, ut sacerdos bene in seipso sit ordinatus, morumque gravitate et maturitate agat. Accedit, quod homo etiam in publico eodem modo se gerat, sicut solus consuevit vivere.

Considera 3° hanc morum gravitatem et maturitatem ex una parte esse fructum quotidiani exercitii, quo voluntas dominium sibi acquirit, super omnes facultates et vires animae et corporis, et ex altera parte *multum conferre* ad tale dominium in dies magis ampliandum et firmandum, ideoque maximae esse utilitatis. — Examina igitur te, quamnam gravitatem et maturitatem hucusque iam adeptus sis, et quid tibi adhuc faciendum restet ad illam acquirendam. Postulat enim hanc Ecclesia, uti episcopus ordinandos alloquitur: « Itaque, filii dilectissimi, servate in moribus vestris castae et sanctae vitae integritatem, agnoscite, quod agitis... quatenus mortis dominicae mysterium celebrantes mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis » (*Pontif. Rom.*: In ordinatione presbyteri).

II.

Considera 1° sacerdotem erga *confratres* exhibere oportere imprimis *reverentiam et honorem*, quatenus et in ipsis consideret semper dignitatem sacerdotalem, quae in omnibus aeque est honoranda, reverentiam et honorem dico, tum in conversatione cum ipsis, tum cum de ipsis in eorum absentia loquatur. Quomodo enim sacerdotes inter se conversantur, ita et fideles cum sacerdotibus agunt. Valde dolendum est, quod sacerdotes se minus aestiment, quam membra aliorum statuum hoc sibi invicem praestant. Quod status sacerdotalis a populo hodie ita parum aestimetur, imo quod multi sacerdotibus irrideant, huius causa etiam est ipsorum sacerdotum erga se invicem modus agendi absque omni reverentia.

Considera 2° sacerdotem erga confratres debere imprimis *caritatem vere fraternam* ostendere verbis et factis. De sacerdotibus deberet valere, quod de christianis primitivis Tertullianus ex ore paganorum retulit: Videte, quomodo se diligant! Sed quid videmus inter sacerdotes in scandalum fidelium? Quod in nullo alio statu tam parum caritas fraterna exerceatur, sicut a sacerdotibus, ita quod invidia clericorum sit proverbialis. Quid nobis Christus in iudicio de hoc modo agendi erga nos aliquando obiiciet?

Considera 3° sacerdotem erga confratres praestare debere imprimis *auxilium temporale*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY
et spirituale, spirituale, tum ratione ministerii ecclesiastici, tum praesertim quoad imbecilles et lapsos, ut eos manu forti et orationibus ferventibus e peccatorum vinculis eruat. Si fratrem aliquem lapsum videris vel audieris, ne detrahas ei, nec eum increpes, sed manum ei porrigas et adiuves eum et sic lucraberis fratrem tuum! — Quid erga confratres facere tibi nunc propones?

III.

Considera 1° sacerdotem in conversatione quotidiana respicere debere etiam *laicos et fideles*, quibus bono exemplo praeire tenetur. Verba movent, sed exempla trahunt. Memineris, laicos non audire verba sacerdotis, sed observare exempla eius. Qualis rex talis grex! Bonus pastor, oves bonae! Quanta materia meditandi sacerdoti, ut percipiat quomodo in singulari gregi praeire debeat exemplo virtutum.

Considera 2° sacerdotem, si cum fructu laborare velit in cura animarum, raro inveniri debere in tabernis et inter delicias mundanas, praesertim, si regularis est, ipsum debere *vivere sobrie* abstinendo, quantum potest, a potibus spiritualibus, utendo iuxta consilium s. Pauli vino in pauca quantitate ad aquam (*ad Tit.* 2, 3) non vice versa. Fideles, uti experientia docet, maiorem habent fiduciam erga sacerdotem sobrium, orationi deditum, quam ad alium, qui saepe ad vinum sedens invenitur.

Considera 3° sacerdotem debere etiam vitare, quantum potest, *superfluam conversationem cum mulieribus*, tum ratione sui ipsius, tum ratione scandali, ne fideles quid mali in eo suspicentur. Mulier periculosa res est sacerdoti; praecavere melius est quam postea emendare. — Videas, quomodo in statu sacerdotali conversari velis cum fidelibus, ut eos aedifices, obligaris enim ad hoc. Quid igitur tibi in hoc puncto propones?

60. — Meditatio finalis.

Exercitia spiritualia ordinationi presbyteratus destinata adiutus gratia divina persolvisti. Post aliquot horas episcopus manus tibi, carissime frater, imponet, ut accipias dignitatem sacerdotalem, illam dignitatem, qua elevaberis super angelos, quae tibi in aeternum manebit, quin quisquam eam tibi auferre possit. Quaestio gravissima tibi se obiicit: Eritne haec dignitas summa mihi in salutem vel in perditionem? Hoc a te dependebit, quatenus hac dignitate usus fueris fideliter vel non.

I.

Ut haec dignitas sacerdotalis tibi sit in salutem, considera 1° Deum tibi cum munere sacerdotali sit communicaturum *gratiam*, non

solum sufficientem, sed superabundantem, ut omnibus obligationibus tuis satisfacere possis. Ex parte tua tantum requiritur, ut hac gratia bene utaris. Ergo suscipias hoc munus grande cum omnimoda fiducia erga Deum Deique providentiam. « Ego tecum sum » (Ier. 1, *v.* 19) dicit etiam tibi Deus.

Considera 2° Deum a te postulare *bonam et firmam voluntatem*, exsequendi omnia officia muneris sacri tui. « Qui te creavit sine te, non te salvabit sine te » ut dicit sanctus Augustinus, valet etiam pro te quoad sacerdotalem dignitatem. Voluntas bona et firma cum gratia divina omnia potest. « Omnia possum in eo, qui me confortat » dicit s. Paulus (*ad Phil.* 4, 13).

Considera 3° sacerdotem semper praeparatum esse debere *ad magna*, sive sunt labores, sive tribulationes; gaudeas igitur, si magna, imo maxima, etiam cum pretio vitae tuae Deo praestare potueris. Dicas igitur cum Psalmista: « In te Domine speravi, semper spero, non confundar in aeternum » (Ps. 30, 2).

II.

Considera 1° maximam hodie, in die ordinationis tuae *debere esse animae gratitudinem* erga Deum, qui incredibilem, fere infinitam confert tibi hodie gratiam. Dic igitur: « Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? » (Ps. 112, 15). Quid igitur ei retribues? Nonne te, te totum, te pro

semper, corpus et animam, vires et facultatem corporis et animae?

Considera 2° ne *appareas vacuus coram Domino* Deo tuo, te quaedam offerre debere ei in signum summae gratitudinis tuae. Nonne optima dona Deo erunt quaedam proposita, quomodo velis fideliter ei servire in sacerdotio? Quaenam autem proposita ei offeres?

Considera 3° inter omnia proposita illud esse Deo summe acceptabile et simul etiam optimum signum gratitudinis tuae, scilicet ut quotidie *summa cum puritate et devotione celebres sacrificium missae,* quia hoc est gravissimum officium tuum. Summa gratitudine dicas — « Te Deum! ».

INDEX

PAG.

PRAEFATIO VII

De prima tonsura.

1. Meditatio introductoria 1
2. « Ad deponendum comas » 3
3. « Induat te Dominus novum hominem ». 7
4. « Dominus pars hereditatis meae » . . 11
5. « De foro Ecclesiae facti estis » . . 14
6. De statu clericali 18
7. De vita clericali 22

De quattuor ordinibus minoribus.

8. De officio ostiarii - I 27
9. De officio ostiarii - II 31
10. De officio lectoris - I 35
11. De officio lectoris - II 39
12. De officio exorcistae - I 43
13. De officio exorcistae - II 47

PAG.
14. De officio acolythi - I 51
15. De officio acolythi - II 55
16. Meditatio finalis 60

De ordine Subdiaconatus.

17. Meditatio introductoria 63
18. De ordine subdiaconatus 66
19. « Onus ultro appetitis » 69
20. « Ut hunc electum benedicere, sanctificare et consecrare digneris » 73
21. « Perpetuo Deo famulari » 77
22. De ministerio ad altare 80
23. De amictu 84
24. De (veste) alba 88
25. De cingulo 92
26. De manipulo 96
27. De tunica 99
28. « In Ecclesiae ministerio » 103
29. Cur clericus maior ad breviarium obligatur 107
30. De pretio recitationis breviarii . . 111
31. De lege coelibatus 115
32. De mediis ad castitatem clericalem servandam 119
33. De habitu clericali 123
34. Meditatio finalis 127

De ordine Diaconatus.

35. Meditatio introductoria 130
36. De sancto diaconatus ordine . . . 132
37. Diaconus - minister 136

PAG.
38. « Accipe Spiritum Sanctum ad robur » . 141
39. De veste propria diaconi . . . 145
40. S. Stephanus exemplar diaconorum . 149
41. « Gaudete in Domino » 153
42. Meditatio finalis 157

De ordine Presbyteratus.

43. Meditatio introductoria 161
44. De officio et dignitate sacerdotis . . 163
45. De fine sacerdotis 167
46. De motivis ad sacerdotium trahentibus . 171
47. De peccato sacerdotis 175
48. De morte sacerdotis 179
49. De idoneitate intellectuali sacerdotis . 183
50. De idoneitate morali sacerdotis . . 188
51. De fide sacerdotis 192
52. De obedientia sacerdotis 196
53. De sacerdote orante 200
54. De sacerdote pugnante 204
55. De sacerdote praedicante . . . 208
56. De sacerdote in confessionali . . . 212
57. De vestibus sacerdotalibus . . . 216
58. De manibus sacerdotis unctis . . 220
59. De conversatione quotidiana sacerdotis . 224
60. Meditatio finalis 228

248.31
S13
Schlossinger, G.
AUTHOR
Meditationes de Sanctis Or
TITLE